DE OBDURATORUM

PECCATIS MORTALIBUS.

239.14
/219

140

WARD, Wm GEORGE

DE

OBDURATORUM PECCATIS MORTALIBUS.



London 1854

22729

ELENCHUS CAPITUM.

PAG.

I. Thesis prior, de quâ sermo est, profertur . . . 1

II. Consectaria quædam, quæ ex hâc Thesi profluere videntur, exponuntur 2

III. Gerdilii sententia traditur 9

IV. Vix, aut ne vix quidem, unum theologum reperiendum esse, qui hanc Thesim reverà propugnet, suadetur 12

V. Multos esse, præcipuè verò S. Thomam, qui omninò sibi constent in eâ rejiciendâ, ostenditur . . 21

VI. Argumento cuidam, pro illâ Thesi adducto, occurritur 34

VII. Quid de illâ Thesi judicandum esse videatur, statuitur 39

VIII. Altera, de quâ sermo est, Thesis profertur ; et quid S. Thomas in eâ astruendâ sibi velit, ex ipsius verbis ponderatur 41

IX. Idem ex aliorum theologorum placitis perpenditur . 51

X. Argumenta pro eâdem parte adducuntur . . . 60

XI. Hæc Thesis ad solvendas difficultates illas, quæ in principio expositæ sunt, applicatur . . . 63

XII. Objectionibus quibusdam satisfit 67

XIII. An semper et necessariò requiratur ad mortale peccatum, quòd explicitè præcesserit aliqua saltem de actûs malitiâ suspicio 68

XIV. Res tota ad certa quædam principia revocatur . . 75

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/obduratorumpecca0000unse

Typis hoc mandatum est, ut lectoris commoditati consulatur; minime vero ut in lucem prodeat.

VIRO REVERENDO HENRICO E. MANNING.

I.

Vir Reverende et Amice:

Inter res theologicas, ut mos est, mecum volvendas, non modicè quondam mens turbata est atque confusa, quum Thesim quandam considerabam, quam in multis, de Theologiâ Morali conscriptis, libris affirmatam esse existimavi. Multi enim in eo genere scriptores affirmare videntur, *requiri ad mortaliter peccandum præsentem animadversionem et considerationem explicitam malitiæ peccati.* Neque tunc temporis in mentem meam venerat suspicio, de eâ re quam nunc pro comperto habeo; scilicet, 1°. hos ipsos scriptores, cùm magìs distinctè mentem suam explicant, nihil tale se velle affirmare satìs ostendere; et 2°. alios esse theologos, eosque non minoris notæ, qui sibi omninò, verbo non minùs quàm re, constent, et Thesim hanc apertè in scriptis omnibus rejiciant.

Hoc tamen, priùs quàm longiùs progrediar, accuratissimè observatum velim; Thesi illi me libenter subscribere, in eo ipso sensu, quem, ut puto, ejus auctores præcipuè intendunt. Neminem omninò, sine plenâ advertentiâ ad malitiam actûs, mortaliter peccare posse existimo, nisi cui

adsit (ut aiunt) *principium proximum*, seu (ut alii malunt) *facultas proxima et expedita*, sciendi, aut saltem vehementer suspicandi, se ità peccare. Neminem etiam, nisi cui inconsideratio ex ipso illo, mortaliter malo, voluntatis affectu oriatur, quo per illud ipsissimum instans fertur in bonum commutabile.

Porrò nemo omnium Catholicus, ut existimo, sine plenâ et plenissimâ ad malitiam actûs advertentiâ peccat mortaliter, non modò qui secum fert propositum firmum non graviter peccandi, (de hoc enim indubitatissimum est); sed etiam qui propositum illud semel emisit, neque illud ità retractavit (vel formaliter, vel, quod longè sæpiùs fit, scienter patrando mortale peccatum), ut de eo non ampliùs cogitârit. De Catholicis autem hìc solummodò loquor; quia Acatholicum omninò non intelligere credibile est quid sibi velit hoc, 'non graviter peccare.' Et de hoc viro Acatholico quidem minimè auderem negare, eum veritatis indagationem negligere benè posse in rebus quæ ad regulam morum spectant, et negligentiâ quidem graviter culpabili, quin tamen (propter superbiam suam, vel propter fanaticum quo ducitur spiritum) ulla de negligentiâ suâ suspicio animo obversata sit.

Thesim igitur illam, si ità intelligatur et restringatur, libenter amplector, verissimamque censeo. Si autem nudè accipiatur et absque limitatione, in consectaria quædam quæ jam explicabo, et alia similia, eam necessariò ducere existimo. Hæc consectaria, quæso, paullò attentiùs perpende; ut punctum difficultatis illius satìs intelligere possis, quæ tunc temporis me exagitabat; et cujus quæ vera mihi videatur solutio, *res ipsa est quam in hâc totâ epistolâ tibi exponere cupio.*

II.

1. Nihil in Theologiâ Morali certius est, nihil ab omnibus receptius, quam eum qui rem alienam surripuit, tamdiu (si materia sit gravis) mortaliter peccare, peccato saltem materiali, quàm diu illam retineat. Lugonis dictum

illud stet pro multis (omnes enim in hoc conspirant auctores), ‘ Si fur non statim restituit, *continuatur peccatum actuale* per negationem restitutionis.’ (*De Pœnitentiâ* disp. vii. § 195.) Si autem hoc quod petitur concedamus, scilicet plenam malitiæ considerationem semper requiri ut *formaliter* peccetur, quid sequetur? Attende, quæso. Quum injusti cujusdam animus nondum in malo obfirmatur, quin tamen ad peccatum deserendum inducatur, conscientiæ remorsus per totam diem exagitat; statûs sui infelicitas semper oculis obversatur; *per singula igitur fere momenta*, dum sui compos est, mortaliter peccat. Anni verò prætereunt, et magìs magìsque in injustitiâ obduratur. An *oblitus est* se rem alienam retinere? Minimè quidem: si interrogetur, de facili respondebit (si verum loqui velit) ‘ retineo et retinebo.’ Quum autem nullus jam conscientiæ remorsus exagitat, quumque totus est in honoribus aut lucris quærendis, vix semel fortassè per annum injustitiæ suæ explicita memoria animum pulsabit: quoties tamen pulsat, longè firmius quàm anteà propositum elicit, rem illam alienam retinendi, quæ toti illi quam nunc agit vitæ juvandæ tam feliciter inservit. Ecce, quia jam animus longè longèque *magìs per totam diem* in injustitiâ *obfirmatur*, ex hâc ipsâ præcisè causâ sequetur, eum longè longèque *pauciùs* in die mortaliter peccare.

Et hoc ad alia multa exempla facilè applicari potest: ad eos v. g. qui in occasione proximâ per totam diem versantur; propter ipsam tamen obdurationem, nunquam ferè de statu suo turpissimo cogitant.

2. Deinde, si Thesim hanc accipias, numerus instantium in quibus mortaliter peccatur, non ex deordinatione pendebit illius actûs, quem voluntas *elicit* in quovis instanti, erga bonum commutabile; sed ex mero casu, ex merâ fortunâ.

Dies adest Dominica. Caius, ex somno experrectus, Sacri adeundi obligationem illâ die urgere recordatur. Protinus affectum hunc voluntatis elicit. ‘ Quid ad me præceptum Dei? menses jam tres præterierunt, in quibus

simplex Dei præceptum, quamvis sub gravi obligans, à nullâ omninò quam cupiebam voluptate me absterruit. Missam proculdubio non adero; geometriæ enim studiis, ob voluptatem inde capessendam, volo incumbere.' Vestes induit; et jentaculo refectus studiis hisce, non aliam ob causam nisi miram quam inde percipit voluptatem, se totum dedit: neque ampliùs Missæ audiendæ obligatio in memoriam explicitè venit. Et sanè ni *consuetudinem* jam haberet peccandi, pravi sui propositi *non posset* oblivisci; quum autem menses tres præterierunt in quibus Dei præcepta nihili fecit, eam præcisè ob causam tam facilè obligationis memoria à mente excidit. Dicesne eum tum quidem peccare quum propositum matutinum elicit, dum autem studiis illis incumbit non ampliùs peccare? Quid ex hoc sequetur? Ancilla quædam accurrit, et ait: 'ad Missam audiendam pergo, Dies enim adest Dominica:' ecce Caius novum admisit mortale peccatum, obligationis enim redit memoria. In libros suos de novo se totum ingerit; quum puer parvulus intervenit aitque: 'Dies adest Dominica, de quâ re multùm gaudeo.' Infelix Caius novi reus est mortalis peccati. Amici tres, alius post alium, modico interjecto intervallo, Ecclesiam adituri Caium invisunt: tria ei secum afferunt mortalia peccata. Contra —si ancilla non eum adiisset,—si puer non clamâsset,—si amici non invisissent,—ab his quinque peccatis immunis maneret. Et tamen ne minima quidem erat voluntatis immutatio. Numerus instantium in quibus mortaliter peccatur, non ex affectu illo voluntatis pendet qui per singula *adest* instantia, sed ex mero casu, ex merâ fortunâ.

3. Ecce aliud consectarium. Jam Caius totus est in geometriâ suâ prædilectâ, et ob ipsam peccandi consuetudinem Missæ obligationem instare jam diu oblitus est. Quum hanc in memoriam ejus revocat ancilla, aut puer, aut amici;—et quum ipse, utpote qui rem *jamdiu à se decretam* enuntiat, Missam adire statim et sine novâ ullâ deliberatione recusat; —*nullam omninò subit voluntatis mutationem:* non novum quodvis elicit propositum, sed quod jam in animo existebat,

quodque maximâ cum deliberatione conceptum est, explicitè profert. Interrogo igitur, quid de actu illo voluntatis dicendum est, quo, in ipso *ante* ancillæ monitionem momento, voluptati studiorum se dedidit? Si actum illum veniale solùm esse peccatum respondeas, sequetur, *sine ullâ omninò voluntatis mutatione*, à veniali peccato ad mortale voluntatem mutari; aut, ut aliter loquar, *voluntatis mutationem maximam* (à veniali scilicet ad mortale) fieri posse, *quin ulla sit omninò voluntatis mutatio.*

Quàm gravis autem sit hæc difficultas, apertiùs tibi constabit, si ad dogmata duo, apud theologos receptissima, animum advertere velis. Horum prius est, quod S. Thomas, ex operibus S. Dionysio adscriptis, iterùm iterùmque usurpat; 'nemo intendens ad malum operatur.' Nemo scilicet omninò peccatum prosequitur, propter ipsam turpitudinem peccati; sed solùm propter delectationem, cui actus peccati inservire possit: in hoc ipso igitur necessariò, et nonnisi in hoc, cernitur peccatum, quòd quis bonum delectabile tam inordinatè prosequatur, ut Dei præcepta malit transgredi, quàm delectationem illam amittere.

Alterum verò dogma de quo loquimur, notissimum est illud effatum, 'nullus actus humanus indifferens in individuo.' Huic effato non solùm adstipulatur longè major et sanior theologorum pars, sed ii etiam qui illud non plenè accipiunt, nullas tamen exceptiones nisi minimas et paucissimas admittunt. Ità Vasquezius (1. 2. Disp. lii. cap. iv.) '*scalpere barbam* vel *fricare manus* commoditatis causâ' actum esse indifferentem censet. Viva autem propiùs etiam ad communem sententiam accedit; in ejus enim sententiâ, 'ordo *debitus* ad primam regulam moralitatis consistit in hoc, quòd ponatur actus *post consultam primam regulam*, cui appareat non difformari' (De Moralitate Actuum Humanorum disp. vii. quæst. iii.). Viva igitur, quamvis actus aliquos indifferentes esse existimet, *omnes* tamen esse *malos* apertè pronuntiat, qui *aliter* ponuntur nisi '*post consultam primam regulam.*'

Hæc autem duo dogmata, si simul considerentur, in

hanc conclusionem necessariò ducunt: *actum peccati nihil esse aliud, nisi actum cujus finis est bonum delectabile.* Omnis enim qui peccat, ideò peccat quia eo instanti in bonum fertur delectabile tanquam finem: ità *prius* illud fert dogma. Omnis etiam qui in actu aliquo in bonum delectabile tanquam in finem fertur, in actu illo peccat: ità *posterius* hoc dogma. *Nihil igitur omninò est peccare, nisi bonum delectabile ut finem in actu aliquo sibi proponere.* Qui bonum prosequitur delectabile, in actu illo peccat; qui peccat, in illo actu bonum prosequitur delectabile. Quod in idem redit cum Augustini recepto axiomate, '*omnis humana perversitas* est frui utendis, et uti fruendis.'

Hoc si concedatur, sequi videtur Caium in hoc instanti graviùs Titio peccare, præcisè si, libertate æquali utrinque supositâ, Caius in bonum delectabile magìs *inordinatè*, magìs *Dei præceptorum irrespectivè*, quàm Titius feratur. Et hoc saltem certo certiùs sequitur, si in actu quodam plenè deliberato Titius venialiter peccet, Caius autem mortaliter, Caium in bonum delectabile ferri impetu quodam effrænato, qui 'toto cœlo' (ut aiunt) ab impetu illo leni et moderato differat, quo Titius in delectationem feratur.

Jam verò ad virum illum, quæso, oculos iterùm reflecte, qui, ab ancillâ de Missæ obligatione monitus, explicitum profert propositum quod jamdiu conceperat, Missam eam ob causam non adeundi, ut voluptate, quam in geometriæ studiis percipit, fruatur. Si impetum illum voluntatis penses, quo ad hanc voluptatem in illo momento feratur quod monitionem *præcedit;*—et si posteà impetum illum voluntatis penses quo, *jam monitus,* in eandem feratur voluptatem;—quis dicere audebit hos duo impetus inter se 'toto cœlo' differre? Si *peccare* est '*frui utendis,*' quis dicet in posteriore hoc momento, magìs inordinatè quàm in illo priore, virum eum delectatione suâ *frui?*

Si posterior hic igitur voluntatis actus est mortale peccatum (ut constat), priorem illum etiam esse mortaliter malum quis dubitabit? Et tamen si Thesis illa, de quâ

loquimur, nudè et sine restrictione accipienda sit, priorem illum actum venialiter modò esse malum apertè sequetur.

4. Ad aliud consectarium pergamus. Vir vindictæ deditus inimicum, à quo (ut putat) gravissimam accepit injuriam, prosequitur. In principio (concedamus) quàm turpis sit vindicta satìs consideravit. Sed jam in opere fervet; varia suppliciorum genera, quæ in inimicum cumulari possint, secum reputat; inimicum ipsum denique his opprimi, et mille miserias pati, ineffabiliter gaudet. Ut verbo dicam,—totus est in his ipsis pravissimis affectibus; et præ animi voluptate, *turpitudinis* eorum non ampliùs explicitè recordatur. Dicesne peccatum ejus mortale tum *desiisse*, quum tam effrænatè in illud sese ingurgitavit? nonne omnes potiùs dicent, ipsam illam malitiæ oblivionem peccatum etiam *majus* esse ostendere? Tam certum est apud omnes, inconsiderationem malitiæ à peccato mortali tum non excusare, quum inconsiderationis illius ipsa causa est affectus mortaliter malus jam in voluntate existens.

5. Peccata multa quæ in ignorantiâ graviter culpabili committantur, formaliter tamen esse peccata mortalia, quis theologorum dubitavit? Qui fanatico spiritu ducuntur, mille facinora patrant, quæ actus bonos Deoque gratos esse existimant. 'Venit hora,' ait Salvator, 'ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.' Dicendumne est eos qui Apostolos trucidârunt, lethalis peccati esse immunes? Aut dicendum est suspicionem saltem quandam, de actuum malitiâ, mentibus persecutorum *explicitè* obversatam esse? et quidem per totum illud tempus in quo Apostolos persequebantur? Quàm multi, ob superbiæ elationem, credibilitatem religionis Catholicæ non agnoscunt! an ignorantia illa censebitur *invincibilis* et quæ à *mortali* excuset? Quis autem superbus *ad malitiam superbiæ suæ plenè advertit?* In ipsâ illâ plenâ advertentiâ superbus esse pœnè desinet. Si Thesis hæc igitur admittatur, sequetur nulla esse ferè ignorantiæ mortalia peccata, nulla ferè superbiæ.

6. Servus sum domini cujusdam, qui beneficiis me cu-

mulavit. Hic, filium suum carissimum, octo circiter annos natum, trans mare longâ navigatione missurus, curæ meæ eum commendat, et curæ illius mercedem satìs amplam simul elargitur. Quum navem jam inscendi, primò quidem puerum fideliter custodio: dum verò tempus præterit, variis oblectamentis allicior; cum sociis quos invenio jucundè et familiariter colloquor; in ludis aliisque ejusmodi teneor et occupor; primò per dies, deinde per septimanas, postremò per menses, puerum negligo. Tandem ex casu malo accidit, ut hic in mare dilabatur et pereat: tunc autem sine morâ incuriam meam acerbè defleo. Jam verò me mortale peccatum injustitiæ commisisse, quis dubitabit? Quæ autem advertentia plena ad malitiam intercessit? In illo enim momento quo ad illam plenè adverti, in illo me incuriæ pœnitebat. Et tamen, si mœstitiâ oppressus ad Tribunal Sacrum confugio, et injustitiam simul atque ingratitudinem turpem, ut fœdissimum peccatum, confiteor, quis sacerdos mihi dicet me non mortaliter peccâsse?

7. Vir alius, quem totius vitæ ante-actæ pœnitet, sacerdotem adit: 'Pater,' inquit, 'ex corde doleo, quòd facinora innumera cogitatione, verbo, et opere, contra Deum infinitè Misericordem, in juventute præcipuè, scienter patrârim. Sed aliud confiteri volo peccatum, quod longè altius cæteris omnibus inflixit vulnus, quodque miro modo mentem angit et cruciat. Deus ille, in omnes Misericors, in me præcipua elargitus est beneficia. Mentem sanam dedit in corpore sano; divitias abundè subministravit; uxorem placentem, filios carissimos, mihi dedit; amicorum copiam jucundam addidit. In his omnibus, quæ *Ejus esse dona* satis cognovi, ità ultimum meum finem posui, ut per quatuor aut quinque annos Datoris obliviscerer; ne semel quidem ut ad Illum per actus fidei, spei, et caritatis me converterem, in mentem venit; ne semel quidem ad Illius cogitationem intellectum applicui.' Respondet autem sacerdos: 'Fili mi, *Dei oblivio nunquam potest esse peccatum mortale*. Peccatum enim mortale non est sine plenâ ad ma-

litiam advertentiâ: quomodò autem plena advertentia esse potest ad malitiam *oblivionis?* eo enim quòd consideras malitiam oblivionis, desinis oblivisci.' Consequenter quidem omninò loqueretur principiis suis, si Thesim hanc, tanquam sine restrictione veram, acciperet; quis autem, vel mediocriter amans Dei, portenta hæc toleraret?

8. Atque ità ad ultimum eorum, quæ memorare volo, consectariorum deducor. Ex illâ enim Thesi, sine restrictione acceptâ, apertissimè consequitur ipsa illa, à Summo Pontifice confixa, propositio de Peccato Philosophico. Hanc quidem propositionem ex Thesi illâ reverà fluxisse testatur Gerdilius, ut mox dicam; jure autem *fluere*, et in Thesi illâ tanquam conclusionem in præmissis contineri, jam pergo ostendere.

Grave peccatum ideò esse *mortale* quia offensa sit Dei Infiniti, ne unus quidem inveniendus est theologus qui dubitet. Si quis, *per impossibile*, graviter peccaret, quin simul offensæ Dei Infiniti malitiam contraheret, peccatum illud, quantumvis grave, non mortale esset, nec pœnas æternas mereretur. Pœnarum æternitas Infinitati offensi Dei debetur. Nemo igitur peccatum mortale committit, nisi qui gravem malitiam contrahit offensæ Dei Infiniti. Nulla autem contrahitur gravis malitia (si Thesim cui me oppono accipias) nisi plena advertentia ad eam malitiam simul animo adsit; gravis igitur malitia offensæ Dei ab eo non contrahitur, qui non *plenè advertit ad malitiam* offensæ Dei, adeòque qui non actu de Deo cogitat. Quum igitur nemo mortale peccatum committit, nisi qui malitiam gravem offensæ Dei contrahit;—quumque nemo malitiam gravem offensæ Dei contrahit, nisi qui de Deo actu cogitat;—sequitur, neminem mortaliter peccare, nisi qui actu de Deo cogitet. Ecce ipsissimum Peccatum Philosophicum.

III.

His et aliis hujusmodi consectariis, non video quid fœdius, quid etiam absurdius, excogitari possit. Eorum aliqua nuper in mentem meam venerunt; reliqua autem,

eo tempore de quo loquor, ità mentem stupefactione quâdam perculerunt, ut non parvi esse existimârim momenti, pro tenuitate eruditionis et scientiæ meæ (quæ quàm sint exiguæ enixè profiteor), quàm accuratissimè tamen possem, rem investigare: investigare scilicet, quanto denique theologorum consensu polleat mira illa Thesis, de quâ portenta hæc necessariò fluere videbantur. Nec satìs exprimere possum quâ admiratione sim affectus, quum invenerim, quàm parvæ, aut (ut veriùs dicam) quàm nulli omninò, auctoritati suffulciatur.

In Thesi autem illâ, si nudè et sine restrictione accipiatur, nullam esse vel tenuissimam probabilitatem *extrinsecam*, ex eo apparebit, quòd Gerdilius in eam tam acriter invehatur. Nemo Gerdilio in Theologorum placitis magìs versatus est; nemo auctoritate majore pollet; neque in ullâ Theologiæ parte tam magna forsan est ejus auctoritas, quàm in illâ quæ disciplinis philosophicis propiùs accedit.

Jam verò, in iis quæ sequuntur, Gerdilium de peccato gravi, non veniali, loqui, cuivis legenti statim patebit. In hunc enim finem totam suam disputationem dirigit, ut Peccatum Philosophicum explodat; Propositionem autem, quæ de Peccato Philosophico damnata est, ad grave, non veniale, peccatum expressè et nominatim spectare, nemo est qui ignoret.

Hoc prænotato, pro re quam nos tractamus ecce clarissimi Cardinalis verba (De Peccatis, quæst. iv. cap. ii.).

'Hic verò quæritur, *quæ peculiaris ratio animadversionis* requiratur, ut actus, in se voluntarius et humanus, propriè peccatum dici queat. Quæstioque omnis ad duo capita reducitur. 1. Utrum ad *peccandum requiratur præsens animadversio et consideratio malitiæ peccati? 2.* Utrum, ut peccatum propriè sit offensa Dei, requiratur, &c. . . . .

'Et quod attinet ad *primum* quæstionis caput, res confecta est ex his quæ superiùs dicta sunt de peccatis ignorantiæ. Nam si et peccata aliqua procedunt ex ignorantiâ,

et aliqua ignorantia est peccatum, . . . illud etiam necessariò sequitur, *aliqua esse peccata sine hujus præsentis animadversionis interventu de actionis malitiâ.* Quamobrem non est cur in hoc primo capite diutiùs hæreamus.'

Deinde argumentis quibusdam de Dei offensâ interjectis, pergit pro re nostrâ Gerdilius.

'Hinc meritò constituit S. Thomas *rationem judicari consentire peccato, sive cogitet de lege sive non.* . . . .

'Hinc etiam Augustinus, quum audîsset ex Juliano Manichæos versari in illâ opinione, ut arbitrarentur *immunes esse à culpâ* quicunque tranquillâ conscientiâ peccant, *quòd nempe ad malitiam actionis,* aut ad offensam Dei, *non attendant, horruit perversum dogma,* antea inauditum sibi, *vixque de Manichæis ipsis credendum.* Ità lib. iv. contra Julianum, cap. 8: 'Quod autem, inquit, ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas, si quis homicidium formidante conscientiâ commiserit, reus est quia timuit; si autem aliquod facinus exultante perpetravit audaciâ, *velut credens se ex fide facere quod malè fecit,* evasit culpam, quod quidem *nunquam audivi dicere Manichæos;* sed, quid ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris, cùm hoc Catholica Fides non dicat, quam tenemus, et cujus te pondere urgemus? *Nimis sanè callidum consilium,* quo *probus* fias, *si imperterritè impius* esse didiceris.'

'Hinc denique S. Bernardus inter capitula errorum Abailardi, epist. 120 ad Innocentium II. *illud etiam primum refert erroris caput, de præsente animadversione ad peccandum necessariâ; è quâ ipsum fluxit Peccatum Philosophicum.* De Judæis quippe qui Christum ignoranter crucifixerunt, sic statuebat Abailardus: 'nos dicimus quòd revera illi simplices Judæi non agebant contra conscientiam, sed potiùs zelo legis suæ Christum persequebantur, *nec putabant se malè agere,* et *ideò non peccabant:* nec propter hoc aliqui eorum condemnati sunt, sed propter præcedentia peccata, merito quorum in istam cæcitatem devoluti sunt.''

Peccata ignorantiæ, vides, voluntaria solùm esse *in*

causâ statuit Abailardus ; et hoc ut ' primum erroris caput' Bernardus refert.

Et ut hæc paucis complectar, tria de Thesi hâc auctor eruditissimus apertè pronuntiat. 1. Dogma esse perversum ; de Manichæis ipsis, hæreticorum pessimis, vix credendum ; quod certè orthodoxus quivis horreret simul atque audiret : et ità etiam Augustinum existimâsse. *2.* Inter errores Abailardi, qui de Trinitate simul et de Incarnatione hæreticè sensit, *primum esse erroris caput*, quòd hanc Thesim propugnaret : et ità etiam Bernardum existimâsse. *3.* Propositionem, quæ de Peccato Philosophico damnata est, ex Thesi hâc reverà fluxisse.

Nec alius in eodem Gerdilii capite locus prætereundus est. Literæ sacræ ' apertissimè ostendunt, *eò magis homines impios fieri ac detestabiles, Deoque ipsi odiosiores, quò magìs culpâ suâ* Deum ignorant, suisque in sceleribus *minùs de Deo cogitant.*'

IV.

Jam verò, ipsos illos auctores qui Thesim hanc verbo tenùs affirmârant, nunquam tamen sine restrictione acceptam voluisse, suadebo. Ad hoc multa suppetunt argumenta ; brevitati autem consulo, et quæ sequuntur abundè sufficient.

Scriptores qui interdum ad mortale plenam requirere malitiæ considerationem videntur, sæpe aliquid tale subjungunt. Aliàs ' censetur illa inadvertentia naturalis, et invincibilis oblivio :' hæc sunt verba Busenbaumi, apud S. Alph. (De Peccatis cap. 1). Eodem modo Vasquezius (in 1^{am} 2^{æ} Disp. xcvii. cap. 3) ' inconsiderantiam censeri omninò naturalem ;' et Thomas Sanchez (de Decalogi Præceptis lib. i. cap. 1, § 8), ' inconsiderantia censebitur, quoad excusandum à culpâ, omninò naturalis :' et idem alii. Hoc ipsum autem suspicionem statim ingerit, an eandem præcisè rem, quam nos, ibi attingant. Nos etenim de inconsideratione illâ disceptamus, quæ saltem non minùs ab inconsiderantiâ *naturali* distat, quàm ab ipsâ advertentiâ plenâ ; de inconsiderantiâ scilicet, quæ ex ipso

voluntatis affectu graviter malo exoritur. Quid autem de hâc inconsiderantiâ sentiant auctores si intelligere velimus, perpendenda est illa quam tradunt *de ignorantiâ vincibili* doctrina; inconsiderantiam enim tanquam speciem quandam ignorantiæ ubique reputant. Doctrina autem quæ de ignorantiâ vincibili traditur, certissima est et maximo omnium consensu sancita: unus igitur pro multis stabit Thomas Sanchez. Hic enim apertè dicit (*ib.* § 9): 'Ad peccatum mortale *plena consideratio malitiæ objecti desideratur;*' et inter horum auctorum igitur numerum proculdubiò est recensendus. Quid autem ait ipse Sanchezius, quum ad *ignorantiam vincibilem* pervenitur? 'Ignorantia, inadvertentia et oblivio, quando vincibilia sunt, *non excusant actum à culpâ:* hoc statuit S. Thomas *ab omnibus receptus*' (*ib.* cap. xviii. § 1): culpam tamen minuunt, nisi sint *affectatæ* (*ib.* § 3): si tamen ignorantia seu negligentia graviter est culpabilis, non *ità* minuunt, ut 'ex mortali in veniale transire faciant.' Hoc ait apud *omnes* doctores constare, si *præcepta juris divini et naturalis* consideres; quamvis de præceptis *humanis* sit aliqua controversia (*ib.* § 18, 19, 20). Roncaglia v. g. idem ait (De Ignorantiâ, resp. 2 ad quæst. 2). Cujusdam tamen, ut verum fatear, me perlegisse verba memini, qui *pauca* aliqua (remotiora, ni fallor), etiam *naturalia* præcepta in eâdem exceptione à paucis quibusdam collocari dicat. De longè autem *plurimis* juris naturalis et divini præceptis, summus est omnium consensus: omnes scilicet in hoc consentiunt, peccata materialiter gravia, quæ contra hæc præcepta in ignorantiâ graviter culpabili committuntur, si vir plenè sui compos sit, *revera et formaliter esse peccata mortalia.*

Inadvertentiam autem, ut dixi, veluti quandam ignorantiæ speciem omnes reputant. Ecce Sanchezii ejusdem in alio loco verba, quasi rem omninò indubitatam proferentis. Peccata quædam, ait (lib. 3, cap. v. § 28) in inadvertentiâ patrata 'non sunt *directè voluntaria,* ut ex se patet, *eò quòd* illa inadvertentia fuit in se *invincibilis:* nam si esset *vincibilis,* minimè excusaret' vel sic vel aliter

peccantem. Et omnes, inquam, auctores in hoc conveniunt, peccata plurima, quæ cum inadvertentiâ graviter culpabili patrantur, revera et formaliter esse mortalia. Quæ autem *inadvertenter* patrantur, quantumvis culpabiliter, quomodò de *illorum* malitiâ explicita quædam suspicio simul animo potest occurrere? Explicita enim quædam suspicio est plena quædam advertentia.

Omnium quos vidi solus Viva ad Thesim hanc aliquatenùs accedere videtur; et is tam pauca de ignorantiâ scripsit, ut difficillimum sit ejus mentem assequi. Ipse autem Viva, quum de Peccato Philosophico agitur, et propositionem damnatam opus est respuere, ità loquitur. '*Ex communissimâ theologorum sententiâ*, ad contrahendam culpam theologicam sufficit etiam exercita ac *implicita aliqua cogitatio* de Deo, actionem naturæ rationali dissonam prohibente. Sicut v. g. ut sacerdos, peccans contra castitatem, *contrahat malitiam sacrilegii*, non est necessè quòd tunc *actu explicitè cogitet* de suo voto castitatis, sed sufficit quòd de illo cogitet saltem exercitè, et *sub aliquâ cogitatione confusâ* facilè obviâ.' (Theses Damnatæ: de Peccato Philosophico, § 3.) Non modò, vides, malitia sacrilegii ab eo contrahitur, qui de sacrilegio non explicitè cogitat; sed ipsa malitia offensæ Dei—ipsa illa malitia, quæ *sola* facit ut actus pœnas æternas mereatur—ipsa hæc, omnium longè gravissima, malitia ab eo contrahitur, qui non explicitè ad eam advertit.

Implicitam autem aliquam de malitiâ considerationem semper simul cum mortali animo subesse, nunquam negavi; immò in decursu epistolæ hujus id expressè affirmabo. *Plena* autem advertentia, ut ubique suppono, idem est quod *explicita* advertentia, vel *attentio*.

Alium hic in medium proferre libet auctorem, Gurium; quippe qui Thesim, cui me oppono, vel vehementissimè astruere primo aspectu videtur. 'Contrà dicunt quidem plures' ait 'asserendo sufficere ad peccatum advertentiam virtualem seu interpretativam, quæ in eo consistit, quòd homo *debeat et possit* advertere, quamvis actualiter non

advertat. *Sed hæc sententia omninò rejicienda est :* etenim nihil esse potest volitum, nisi eo modo et tempore quo sit cognitum' (Compendium Theologiæ Moralis, vol. i. § 148). Nonne nobis quàm maximè adversari videtur præstantissimus hic scriptor? Judicium, quæso, ne nimis præproperè feras ; sed quid idem hic de re huic quam tractamus magìs affini dicat, considera. 'Ad ignorantiam invincibilem' ait 'referenda est oblivio *perfecta* et *inadvertentia plena*. *Hæ* autem si non sint *perfectæ,* et *ex negligentiâ* procedant, ad *ignorantiam vincibilem* spectant' (ib. § 11). Quid autem de ignorantiâ hâc vincibili statuit? 'Ignorantia vincibilis circa præceptum aliquod *est peccatum ;* et *grave* quidem in re gravi' (ib. § 149). Inadvertentia igitur quæ ex negligentiâ ('graviter culpabili' proculdubiò supponit auctor) procedit, si in re gravi sit, *est grave peccatum.* Si autem hoc de inadvertentiâ illâ statuit quæ *ex negligentiâ* oritur, quid de illâ statuet, quæso, quæ *ex perditâ nequitiâ* oritur, et ex voluntate in malo obfirmatâ?*

Scio benè hos auctores nunquam ignorantiam vincibilem agnoscere, nisi aliquando explicitè *præcesserit* advertentia quædam actualis, seu dubium, seu denique suspicio.† Hæ duæ sententiæ autem quàm mirè inter se discrepent, perpende. Alia enim est quæ nunquam peccari mortaliter affirmat, nisi malitiæ saltem suspicio quædam *aliquando* mentem explicitè *perculerit ;* alia autem, quæ nunquam mortaliter peccari affirmat, nisi aliqua malitiæ saltem suspicio *jam* mentem explicitè *percellat.* Hæ sententiæ, inquam, inter se longo et quàm longissimo distant intervallo. Pro priore illâ sententiâ tam multos stare, eosque gravissimos, auctores, ut extrinsecè saltem omninò sit probabilis, libenter agnosco; quamvis ipse, ut verum confitear, sententiæ contrariæ fautoribus, iis etiam doctoribus gravissimis, non possim non assentire : quas verò ob causas, sub finem epistolæ hujus paucis

* Videantur alia Gurii verba in cap. 13.

† Verba Vasquezii, Sanchezii, Sporerii, et Salmanticensium, hoc affirmantium, in cap. 13. reperientur.

exponere mihi in animo est. Hic autem *de hâc posteriore sententiâ* agitur; et de hâc iterùm iterùmque dico, theologorum auctoritati unanimi eam non minùs adversari, quàm rationi, quam ipso boni et honesti sensui nobis ingenito, planè adversetur.

Hæc sunt quæ ad omnes theologos spectant. Ut rem autem magìs illustrem, hujus et illius gravis theologi placita, de illorum numero qui pro hâc Thesi stare primo aspectu videntur, libet subjungere.

1. Vasquezius inter hos certè adnumerandus est. ‘Ut quis peccet mortaliter’ ait ‘debet vel considerare, vel dubitare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse periculum malitiæ illius, vel scrupulum saltem aliquem habere;’ eosque qui huic se opponant ait ‘manifestæ veritati adversari.’ (in 1^am^ 2^æ^ Disp. xcvii. cap. 3.) Ipse tamen expressè jam affirmavit (ib. Disp. v. cap. 1), ‘eum qui zelo profecto *ex ignorantiâ* peccat (de peccato autem *mortali* per totum caput loquitur) *putans se obsequium præstare Deo*, nullo modo diligere tunc Deum.’ Ecce, hominem mortaliter peccare agnoscit, non modò qui non explicitè advertat ad malitiam actûs ‘vel scrupulum saltem aliquem habeat,’ sed qui omninò putet se in illo actu obsequium præstare Deo.

Et posteà rem quandam præclarus hic theologus tractat, huic nostræ non absimilem; de ignorantiâ illâ scilicet, quæ non ex ‘naturali oblivione,’ sed ex peccandi consuetudine, exoritur. In hâc autem re considerandâ, per alias omninò vias progreditur. Germanorum et Lacedæmonum, inquit, ‘ignorantia culpæ imputabatur; nam *vel* semper aliquis timor conscientiæ remansit *vel* certè nimia peccandi consuetudine extinctus fuit.’ In Vasquezii igitur sententiâ, hoc nota, idem omninò est *vel* peccati malitiam considerari, *vel* ejus inconsiderantiam ex nimiâ peccandi consuetudine profluere; ecce eadem prorsùs, quam nos tuemur, sententia. Ignorantia hæc autem, pergit innuere, non imputabitur, nisi ‘semel atque iterùm pulsaverit animum fœditas et turpitudo peccati.’ Denique ità rem conficit. ‘Paulus docet Gentiles *traditos esse in duritiam cordis*

propter vitia sua et in reprobum sensum; *ignorantiæ scilicet et erroris.* . . . . Hæc autem ignorantia, quæ accidere potest ex pravâ consuetudine peccandi, est *erroris;* quo quis jam adductus est ob sua peccata in eam opinionem, ut credat illud esse licitum, quod aliàs non credebat esse: . . . . quare *semper* imputabitur culpæ *si in eâ permaneat.*' Ecce, *quamdiu* in ignorantiâ illâ quis *permanet,* tamdiu, Vasquezio judice, *continuatur peccatum actuale.* Quare vero? an quia semper explicitè percellit animum consideratio malitiæ, vel dubitatio, vel 'saltem scrupulus?' Minimè quidem; de his ne mentionem quidem injicit. 'Siquidem *principium habet* intelligendi se in errore versari, siquidem cum non erat ità pravè affectus aliter judicabat' (ib. Disp. cxxii. cap. 2). Satìs est igitur ad peccatum mortale, idque per diuturnum tempus continuatum, si quis *principium proximum* habeat judicandi se in illo versari. Nihil ampliùs desidero.

Et sanè, si jam ad locum illum Vasquezii nuper memoratum oculos reflectas, in quo præsentem malitiæ animadversionem requirere videtur, nil tale eum revera affirmare invenies. 'Nullum est mortale peccatum nisi cogitatio aliqua *præcesserit*' &c. 'quòd si nihil horum *præcesserit*' &c. Satìs igitur forsan sibi constat, quum de ignorantiâ illa docet quæ jam vidisti; sed quò clariùs id appareat, eò indubitatius etiam videbitur, quàm longè et longissimè distet Vasquezius à Thesi illâ tuendâ in quam invehimur.

2. Lugonem in medium proferre duas ob causas expediet. Primò Lugonis exemplum nos edocebit, quàm necessariò Thesis hæc, si sine restrictione accipiatur, in Peccatum Philosophicum perducat. Si enim illustrissimi hujus Cardinalis mira ingenii vis et subtilitas, et constans in palæstrâ scholasticâ exercitatio, eum ab hoc (posteà) damnato errore non servavit, quid aliud in causâ esse potuit, nisi ipsa quæ assumpsit principia necessariò in errorem eum duxisse.

Scio quidem quæstionem adhuc esse valdè controversam, an Lugo revera in hunc errorem inciderit; et ipse,

quum ad præclarissimum illum de Incarnatione librum perlegendum me accinxi, nil aliud me inventurum esse expectavi, nisi eum falsò in illius rei insimulationem vocari. Hæc autem expectatio me fefellit. Ut alia præteream, verba quæ sequuntur quis in eum potest torquere sensum, ut aliud enuntient nisi ipsam illam, de Peccato Philosophico, propositionem, quæ Lugone mortuo à Summo Pontifice confixa est?

‘ Objiciunt, si nullum est peccatum mortale nisi prout opponitur contra præceptum Dei, sequi nullum prælatum vel superiorem creatum posse *obligare* subditum *sub mortali*, nisi supponatur *advertentia ad Deum*.

‘ Hoc tamen nullam habet difficultatem, quia nec etiam prælati possunt præcipere sub excommunicatione nisi subdito attendenti ad Deum. *Sufficit* superiori, si possit subdito præcipere graviter, eâ gravitate quam subditus concipere potest: *gravitate nimirùm morali*, si subditus solùm *attendat ad regulam rationis;* gravitate verò *theologicâ*, si subditus *attendat etiam ad Deum*.’ (De Incarnatione, disp. v. § 120.)

Non video utique, si quis vellet expressè propositionem illam damnatam quasi suam astruere, quomodò verbis disertioribus posset uti. Totum verò hoc Lugonis argumentum à duobus profluit principiis. Horum aliud est, peccatum non esse mortale nisi propter Dei offensam; et hoc nemo est omnium Catholicus qui dubitet. Aliud verò cui innititur principium est, *malitiam gravem non contrahi nisi ad quam attendatur;* atque hìc igitur auctoris placita falsitatis arguere oportet. Falsum est, inquam, gravem malitiam non contrahi, nisi ad quam attendatur; et tam falsum, ut Lugonem ipsum in errorem manifestum Thesis illa duxerit.

Hoc igitur satìs est ut Lugonis auctoritas, in materiis cæteris gravissima, in propugnandâ tamen attentionis ad malitiam necessitate nihili facienda sit. Et tamen ne ipsius quidem Lugonis in mentem venisse arbitror, inadvertentiam *illam* excusare à peccato, quæ ab ipso peccandi affectu

exoriatur. Si quæstionem de ignorantiâ expressè Lugo tractâsset, hoc statim reperiendum iri nullus dubito; sed haud satìs scio an in ejus quæ extant operibus materiam hanc usquam expressè attingat. Ad rem aliam igitur quam tractat oculos convertamus. In libro illo quem "de Pœnitentiâ" scripsit, hoc ei investigandum occurrit; quas ob causas eveniat, ut pœnitentia non statim obliget post mortale commissum. Ipse enim cum communi (ne dicam universali) sententiâ illam *non* ità obligare affirmat; hominem verò, qui cæteroquin à peccato actuali cessârit, neque tamen de reconciliatione suâ ad Deum curam habuerit, non ampliùs Deum offendere, sed solùm in habituali manere. Quid est autem, in Lugonis sententiâ, illud 'à peccato actuali cessâsse?' Vide.

'Quintò objiciunt: quia videtur graviter opponi legibus amicitiæ semel cum Deo initæ, si dissolutâ post amicitiâ velit homo in eo inimicitiæ statu perseverare, et non statim reconciliari, et ad priorem amicitiam redire.

'Respondeo: esse quidem *graviter contra amicitiæ leges*, si homo velit statum inimicitiæ *conservare;* hoc est discedere habitualiter à Deo, *conservando affectum quo ab eo semel discessit:* hoc enim jam esset *permanere* in eodem affectu malo et *peccato actuali præcedenti.* Nunc autem *solùm* loquimur de illo, verbi gratiâ, qui furto commisso jam non furatur, *immò restituit;* nondum tamen aut justificatus est per veram contritionem, aut per attritionem cum Sacramento: qui certè *ex parte suâ non vult esse inimicus;* nondum tamen *diligit* ut amicus Deum, nec procurat efficaciter quòd diligatur ut amicus ab ipso Deo. . . . Sicut caritas non obligat ad positivè diligendum Deum *statim* ubi primùm cognoscitur, sed *suo tempore;* et *semper* ad non habendum odio formali vel *virtuali:* sic nec videtur obligare eadem caritas ad diligendum Deum quàm primùm post peccatum, sed *ad tollendum affectum contrarium* imbibitum in omni peccato mortali, et ad repetendum *positivè* affectum dilectionis *debito tempore.*

'Sed contrà objiciunt sextò, graviter opponi contra re-

verentiam patri debitam, si filius sciens patrem à se graviter offensum, non curet patris gratiam et reconciliationem sibi quàm primùm promereri. . . . Cur ergo non tenebitur homo statìm satisfacere Deo Patri, . . . meritissimè irato, ne Ipsum Ejusque iram videatur contemnere? . . .

'Respondeo: si pater . . . sciret filium *cessâsse omninò ab interno affectu eum offendendi*, immò habere animum petendi veniam et satisfaciendi, licet nunc ex aliquâ *pigritiâ*, vel propter alias occupationes, id differat;—non haberet certè novam indignationem gravem propter illam dilationem, &c.' (Disp. vii. § 224-226.)

Ille igitur, judice Lugone, '*in peccato actuali præcedenti permanet*,' qui '*conservat affectum* quo à Deo semel discessit;' ille solus à peccato cessavit, qui '*ex parte suâ non vult esse inimicus*,' et qui '*cessavit omninò ab interno affectu Eum offendendi*.' Porrò 'caritas obligat' ad *statim* 'tollendum *affectum contrarium* imbibitum in omni peccato mortali:' quamvis ad *positivè* Deum *diligendum* non obliget nisi 'debito tempore.'

Denique, quum hoc argumentum auctor sibi objecit, '*nemo negabit, omissionem pœnitentiæ ex affectu ad peccatum esse peccatum*,' sententiæ hujus *veritatem planè agnoscit*. Respondet verò primò: 'non retractare peccatum, communiter provenit ex infirmitate spiritûs *non habentis robur* ad prorumpendum in *generosum illum actum retractationis*: quæ quidem *infirmitas* non est novum peccatum . . . . . Deinde sæpe contingit, non solùm non perseverare affectum ad peccatum, sed potiùs haberi affectum *contrarium* ortum ex timore pœnæ, &c.' (Ib. § 198-200.) Quis est qui hæc attentè perlegerit, et credere possit Lugonem existimâsse, *eum* à peccato actuali cessâsse, qui ob ipsam in malo obfirmationem ad peccati malitiam non attendat?

3. Hæc de Lugone. Lessius etiam, ut ii mihi narrant qui scripta ejus in hâc materiâ adiêrunt, cùm requisita ad peccatum mortale expressè considerat, plenam advertentiam ad actûs malitiam iis adnumerare videtur. Et tamen in

libro quem ‘ De Perfectionibus Divinis’ scripsit, ità loquitur:

‘ Si fortè aliqui sunt adeò barbari ut nihil sciant de Numine, hi tamen possunt *mortiferè peccare*, quia ità in malum feruntur, ut *etiamsi scirent* esse Unum Numen illud prohibens, nihilominùs *ex vi illius affectûs* malum patrarent.’ (lib. xiii. § 186.)*

Malitia igitur, secundùm Lessium, benè contrahi potest, quæ prorsùs ignoratur. Quin immò, si barbaros aliquos esse existimat Lessius (ut ejus verba sonant) qui *invincibiliter* Deum ignorent, tum sequetur, malitiam, in illius judicio, contrahi posse, non modò quæ non consideretur, non modò quæ prorsùs ignoretur, sed etiam quæ *invincibiliter* ignoretur.

v.

Nullus igitur omninò, ut existimo, reperiendus est theologus, qui Thesi huic, in totâ suâ latitudine acceptæ, ausus sit subscribere. Multi sunt contra, iique optimæ notæ, qui semper sibi constant, et eam penitùs rejiciunt.

Priùs quàm autem longiùs progrediar, hoc ingenuè profiteri volo; me nequaquam istâ eruditionis et scientiæ copiâ pollere, quâ opus esset ad rem hanc pro suâ dignitate ornandam et conficiendam. Inter Augustinianos, neminem nisi Bertium; inter Thomistas, neminem nisi Billuartium; vel minimâ in parte perlegi: inter Augustinianos verò et Thomistas, ut puto, clarissima reperientur hâc in re testimonia. Neque tamen idcircò me temeritatis argui jure posse existimo, quum non ità pridem sententiam quandam, quasi omnium theologorum communem, retuli; eam enim sententiam auctores, in quorum scriptis versatus sum, non tanquam *suam* modò propugnant, sed tanquam *apud omnes* certam et indubitatam.

1. Primus autem in medium afferetur Suarezius. Is

* Hunc locum ut adirem, suasit Lugonis citatio (De Incarnatione, disp. v. § 75).

quæstionem hanc de inconsideratione tam lucidè et integrè explicuit, ut totam illam sectionem (De Voluntario, disp. iv. cap. 3) hìc citare libuisset. Pauca excerpam; ea autem quæ abundè sufficiant ad Doctoris Eximii sententiam manifestandam.

Ex duobus quæ tradidit principiis, ‘ colligo’ ait ‘ duas assertiones *æquè mihi certas.* Prima est, inconsiderationem involuntariam causare actum non voluntarium quoad conditionem non consideratam . . . . (§ 9.)

‘ Secunda assertio est, inconsiderationem actu voluntariam *non* reddere actum omninò non voluntarium quoad conditionem seu circumstantiam non consideratam. Hæc est, ut existimo, *communis sententia omnium doctorum,* qui ex hoc principio affirmant *hujusmodi inconsiderationem* voluntariam *non excusare hominem à culpâ* . . . . (§ 12.)

‘ Ratione probatur conclusio . . . . (§ 13.)

‘ Probatur tandem conclusio ab inconvenienti : quia aliàs sequitur, malitiam moralem actûs non esse voluntariam, *nisi quis actu consideret* illum actum quatenùs offensa Dei est. Consequens autem *est valdè absurdum:* aliàs nullus peccaret mortaliter, nisi is qui, dum peccat, *actu cogitat* illum actum offensam Dei esse gravem ; quod *pauci cogitant dum peccant,* sed solùm de suâ *voluptate, vindictâ, utilitate,* &c. . . . (§ 14.)

‘ Secundò . . . .

‘ Tertiò sequitur nunquam actum imputari ad culpam, nisi fiat *cum actuali conscientiæ reprehensione* . . . . Consequens autem esse videtur contra illud Pauli, ‘ Nihil mihi conscius sum, sed non *in hoc* justificatus sum ;’ quod testimonium *ferè ad hoc propositum* ponderat *Hieronymus* reprehendens’ *Pelagium* ‘ quòd diceret nullum esse peccatum ex ignorantiâ commissum. ‘ *Sæpe* enim (inquit) aliqua *malitia* latet ubi *benè egisse arbitremur.*’ . . . . Item possent hìc afferri testimonia Sacræ Scripturæ, quæ *maximè reprehendunt eos* qui *ex nimiâ peccandi consuetudine* sine ullâ conscientiæ reprehensione delinquunt, et peccata sicut aquam bibunt. (§ 16.)

'Sed tota difficultas est, quæ regula servanda sit ad judicandum quando hæc inconsideratio sit involuntaria . . . . quod censeo explicatu difficile. *Duo tamen extrema vitanda sunt;* primum erit si quis, &c. (§ 17.)

'*Alterum* ergo extremum erit, si dicamus tunc solùm inconsiderationem esse voluntariam, quando supra illam aliquo modo reflectitur intellectus actu formali, ut *expressè advertendo se non satìs considerâsse hanc rem* . . . . vel saltem *dubitet* de sufficienti cogitatione et de obligatione ampliùs cogitandi . . . . Qui modus dicendi, *si esset verus*, facilè expediret difficultates positas . . . . denique, juxta hunc modum excusarentur homines à multis peccatis et à perplexitatibus et scrupulis. (§ 21.)

'Sed tamen hoc ipsum apud me reddit hunc modum dicendi valdè suspectum et *moraliter incredibilem* . . . . nam *vix est ullus peccator* qui, dum actu peccat, faciat illam reflexionem, an satìs consideret objectum et malitiam ejus, &c. . . . . excusabuntur ergo homines *facillimè* à culpis *quas liberè committunt.* Deinde sic argumentor; nam ut inconsideratio sit voluntaria, *non est necessarius positivus actus* quo velit non considerare, nam cùm inconsideratio sit quædam omissio, *sufficit carentia actûs ut illa sit voluntaria.*' (§ 22.)

Deinde perpendit Doctor Eximius, quomodo judicare possimus an 'ex parte intellectûs sit sufficiens dispositio ad hoc voluntarium;' seu (ut nos jam diximus) an *principium proximum* adsit considerandi. De hâc verò tanti momenti quæstione, hæc statuit.

'Advertentia ad objectum *sub ratione amabilis, vel eligibilis*, vel sub aliâ simili, *erit satìs* ut voluntas, antè quàm liberè eligat, possit movere intellectum ad perficiendum et judicandum prudenter de tali objecto et de re agendâ. Ergo, *si se præcipitet, et id facere omittat*, hoc *satìs erit* ut talis inconsideratio, talisque conditio seu circumstantia actûs, sit voluntaria. (§ 24.)

'Si homo, priùs quàm liberè eligat seu amet objectum propositum, *faciat mediocrem diligentiam* juxta capacitatem

suam, ut *prudenter* de tali actione vel objecto judicet, *tunc* inconsideratio remanens erit involuntaria: si verò, pro qualitate negotii, *imprudenter* se gerat, temerèque se exponat periculis practicè errandi, *tunc non excusabitur*, et inconsideratio durans erit *indirectè voluntaria.* (§ 29.)

'Inconsideratio causat involuntarium quando est *per naturalem oblivionem;* quod *facilè et frequenter* accidere potest in *præceptis positivis. . . . . Secùs* verò est *de præceptis naturalibus*, seu malitiâ *intrinsecâ* ipsis actionibus seu objectis; nam *si sufficienter consideretur actio ipsa veluti materialis*, statim excitatur consideratio malitiæ, vel certè *facillimè excitari potest, si homo paululum animadvertere velit.*' (§ 32.)

Fortè accidit, postquàm hanc rem considerandam mihi proposuissem, me aliam ob causam Suarezii operis 'de Gratiâ' conscripti libros aliquos rursùs perlegisse. Eandem hanc sententiam ubique ab illo, tanquam indubitatissimam, propugnari inveni. Inter alia quæ forsan non jam satìs memini, hæc citabo: lib. 1, cap. xii. § 3, cap. xiii. § 5; lib. 4, cap. ix. § 8; lib. 7, cap. xviii. § 6. Prior autem ille locus tàm apertus est, ut eum hìc libeat proferre. 'Cogitatio, excitans ad actum moraliter bonum, esse debet de bono honesto *sub tali ratione boni;* cogitatio verò excitans ad *pravum* actum, est de malo *sub ratione alicujus boni inferioris:* neque necesse est *ut turpitudo annexa actualiter consideretur*, quia voluntas *non fertur in malum sub ratione mali:* neque actus ejus est pravus solùm *quandò fertur in objectum consideratum ut pravum*, sed satìs est ut feratur in objectum *quod est* pravum, *sive actu consideretur* ut tale;—sive non, *considerari autem possit, et ex negligentiâ* vel industriâ omittatur, ut liberiùs possit voluntas in illud ferri.' (*De Gratiâ*, lib. 1, cap. xii. § 3.)

Octo jam anni præterierunt, in quibus nullius tam quàm Suarezii opera à me sunt 'nocturnâ versata manu, versata diurnâ;' et ne unus quidem in memoriam venit locus, ubi aliquid his contrarium pronuntiet.

2. Bellarmini etiam scripta quædam perlegi, dum in animo fuit hanc rem exquirere: et ea quidem in quibus, omnium maximè, judicium ejus elucere credibile est. De disputationibus illis loquor (non quasi totas nuper perlegerim, magnam tamen earum partem), quæ à Controversiâ de 'Primi Hominis Gratiâ,' exordiuntur, et usque ad Controversiam 'de Justificatione' attingunt. Ne verbum quidem invenire potui, quod pro hâc Thesi staret; aliqua verò vidi quæ totâ fronte illi adversantur.

'Sæpe homo rem oblatam *continuò* amplectitur et *liberè;* quia tametsi non deliberavit, tamen deliberare *potuisset si voluisset.* Itaque non omnes actus indeliberati sunt involuntarii, sed illi tantùm qui *deliberari non potuerunt.*' (*De Gratiâ et Lib. Arbit.* lib. 3, cap. ix. § 3.)

Ubi appellationem hanc 'actum indeliberatum' in sensu minùs usitato accipit; et actum intelligit, in quo utraque pars expressè non est perpensa.

'Quis est *qui certus sit* se non laborare ignorantiâ aliquâ, non probabili sed crassâ, et ex eâ *peccandi affectum gerere quem ipse non videat?* . . . .

'Neque potest quis certus esse certitudine Fidei se non [Sacramento] *ponere obicem*, cum possit ex ignorantiâ crassâ *gerere affectum ad peccatum.*' (*De Justificatione*, lib. 3, cap. viii. § 4, 5.)

Affectus autem ad peccatum, in omnium theologorum sententiâ, est peccatum. Potest ergo vir mortaliter peccare, quin aliquam de peccato illo suspicionem concipiat; et certissimè igitur sine ullâ omninò ad malitiam ejus advertentiâ.

Denique hæc Bellarmini verba, ex tractatu quodam ascetico deprompta, amicus quidam mihi indicavit.

'Quamvis autem non cognoverint Judæi, sive principes, sive populi, Christum esse Dominum Gloriæ, tamen *cognoscere potuissent*, nisi malitia excæcâsset corda illorum (Joann. Evang. xii. 40). Neque verò *excæcatio excusat excæcatum*, quia *voluntaria et concomitans est*, non præ-

cedens. Ad quem modum, illi etiam, qui ex malitiâ peccant, *laborant semper ignorantiâ aliquâ*, quæ tamen non excusat, quia non præcedit sed comitatur.' (*De Septem Verbis Christi*, cap. i. § 6.)

3. Bertium adeamus Augustinianum.

'Affinis est quæstio, an ut imputetur peccatum, debeat subire animum sancta cogitatio et delectatio, per quam *advertat ad peccati malitiam*, aut excitetur ad desiderium virtutis. Id necessarium *non* esse, dummodò *aliunde conservetur libertas indifferentiæ*, consequitur ex iis quæ disputata sunt de gratiâ sufficiente. . . . .

'Quoniam verò largi quidam gratiarum divinarum dispensatores huic nostræ assertioni reluctantur, illam proximis munimentis confirmamus. I. In Diospolitanâ Synodo anathemate proscriptum est *illud Pelagianorum paradoxum* 'oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato.' At *qui obliviscitur vel ignorat, actu non cogitat* . . . . II. *Nihil occurrit in libris Augustini frequentiùs* quàm plures peccare nescientes. Legitote Epistolam cliv. nunc xlvii. De Spir. et Lit. cap. 36; lib. i. Retract. cap. 15. Assentiuntur Augustino Hieronymus et Bernardus. III. . . . Leviticus v. 17, 'anima quæ *peccaverit per ignorantiam*;' Ps. xxiv. 7, '*Ignorantias meas* ne memineris Domine;' Act. iii. 17, 'Fratres scio, quia *per ignorantiam fecistis*,' scilicet Christum crucifixistis; . . . Joann. xvi. 2, 'Venit hora, ut omnis qui *interficit vos putet se obsequium præstare Deo*.' . . . V. . . . . VI. Parisienses theologi, anno 1641, *proscripserunt hanc propositionem*, 'nunquam peccatur, nisi *prævià peccati cognitione* animus illustretur, ejusque vitandi desiderio extimuletur.' *Lovanienses* anno 1657 *confixere alteram*, 'ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine *qui noscit et percipit* quid boni malive in eâ sit.' Rursùs clerus Gallicanus anno 1700 damnavit sequentem assertionem: 'si peccatores consummatæ malitiæ cùm blasphemant et flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, *nec mali quod agunt notitiam*,

cum omnibus theologis propono eos *his actionibus non peccare*,' damnavit, inquam, et declaravit *falsam, temerè pronuntiatam, perniciosam*, et quæ bonos mores corrumpit, et blasphemias aliaque peccata excusat. VII. Si peccatorum malitiam non advertere redderet hominem immunem à culpà . . . . hujus notitia . . . . *necessaria esset ut posset peccare:* quod puto *perpaucos esse dicturos*, etiamsi affirmetur à Sfondrato. . . . .

'Ad argumenta autem deducta à communi pronuntiato philosophorum ['nihil est volitum quin præcognitum'] non semel dictum est, illud liberrimâ voluntate fieri, quod eligitur cum indifferentiâ judicii: quod quisque facit, dum peccat, etiamsi *actu non cogitet esse peccatum.* Ut verò quod liberè perpetratur sit seipsâ peccatum, sufficit *quòd possit ac debeat* advertere ad nequitiam illius. . . . Etenim ut Augustinus ait in iii. de Lib. Arbit. cap. 19, 'Non tibi deputatur ad culpam quòd *invitus ignoras*, sed quòd *negligis quærere quod ignoras:* neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.' (De Theologicis Disciplinis, lib. xxi. cap. ix. § 7, 8, 9.)

4. Billuartius (De Peccatis, disp. v. art. 6) rem totam expressè perpendit, et duo statuit. 1. Plerumque ad mortale requiri considerationem malitiæ: 2. A propositione istâ *exceptionem* quandam esse admittendam; scilicet in viris illis, quorum inconsiderationis causa sit ipsa peccandi consuetudo.

5. Cuniliatius, Dominicanus quidam, (ut ii mihi dicunt qui scripta ejus sciunt,) sententiam, quæ requirit advertentiam ad malitiam, sententiam esse dicit 'recentiorum quorundam' (De Peccatis, cap. i. sec. 2, § 10). Sufficere verò 'interpretativam eam advertentiam, quæ in hoc consistit, quòd quis *possit et teneatur* cognoscere malitiam actionis,'—hanc appellat 'communiorem et veram sententiam.'

6. De Sancto Alphonso, dubitari posset an inter hos auctores jure censeatur, an non potiùs in eorum numero collocandus sit quos in priore capite citavimus: existi-

mari enim posset eum, quum requisita ad peccatum mortale ex professo tractat, plenam malitiæ considerationem inter ea requisita adnumerare. Si verba autem ejus paullò attentiùs observare velis, eum nil tale affirmâsse reperies. Hæc enim tria, in sententiâ suâ aperiendâ, ait, quæ simul sumpta rem omninò manifestam facient.

(1.) Verba quædam refert Continuatoris Tournelyii, quæ adeò ad rem faciunt quam tractamus, ut et ipsa dignissima sint quæ in medium proferantur. ‘ Itaque, ut intra veri limites gradum sistamus, existimamus eum, qui ità non advertit ad peccati malitiam, ut vel *naturali raptus distractione*, vel ob similem causam, advertere non possit, *peccato non teneri*. . . . Verùm *aliter dicendum est* de actionibus, quas eliciunt *aut omittunt* viri *terrenis rebus absorpti*, passionibus suis servientes, assueti ut *ne quidem cogitent se non cogitare*.’

Nemo omnium certè tàm penitùs, tàm plenè et absolutè, de malitiâ actionum suarum non explicitè cogitat, quàm is qui ‘*ne cogitat quidem se non cogitare*:’ tales autem ait Tournelyii Continuator facillimè in peccatum mortale labi. Quid ad hoc Sanctus Alphonsus? ‘ Idem,’ inquit, ‘*jam nos admisimus*.’

(2.) Judæos crucifigentes Dominum, Paganos occidentes martyres, Hæreticos ‘*innumera crimina perpetrantes*,’ peccâsse tamen sine actuali advertentiâ ad malitiam, omninò confitetur. ‘ Horum autem omnium,’ respondet, ‘ ignorantia fuit et est omninò crassa;’ ideòque iis ‘ ob suam malitiam vel supinam negligentiam *omnes sui errores* justè *imputantur ad culpam*.’ Seu, ut aliis verbis rem eandem dicam, quum inconsideratio hæc vel à *malitiâ* (scilicet à pravo voluntatis affectu) vel *à negligentiâ supinâ* exoriatur, *à peccato mortali non excusabit*. Quid apertius?

(3.) Denique sententia illa, de advertentiâ ad mortale non requisitâ, quam Sanctus Auctor rejicit, ab illâ quam nos amplectimur longissimè distat. Iis enim sese opponit, qui censent virum mortaliter posse peccare, qui ‘ solâ potentiâ physicâ et remotâ malitiam advertere’ possit; et

qui censent etiam ‘ homini imputari posse omnes suos errores, quamvis ipse, *debitâ diligentiâ jam adhibitâ,* rectè operari judicet.’ Talem autem sententiam, tanquam apertissimè falsam, rejiciendam prorsùs esse et detestandam ego etiam existimo. Neminem, ut jam dixi, peccati mortalis esse reum affirmo, nisi cui adsit principium *proximum* (non verò ‘ physicum et remotum’) intelligendi se in peccato illo versari ; neminem etiam, qui ‘ debitâ diligentiâ adhibitâ rectè se operari judicet :’ immò *Catholicum* neminem, qui vel *tenui* diligentiâ adhibitâ id judicet. Sancti Alphonsi autem verba in tractatu ‘ de Peccatis’ reperienda sunt, cap. i. § 4.

7. Principem theologorum, Sanctum Thomam, in ultimum locum servavi, ut paullò diutiùs in ejus sententiâ expendendâ immorer. Et primò argumentum proferam, ut ità dicam, ‘ negativum.’ Nunquam verba ejus aliqua à scriptore aliquo citata vidi, quæ pro hâc Thesi faciant. Dum in hâc materiâ veritatem indagabam, primam secundæ et secundam secundæ, magnâ in parte, attentè perlegi; neque ullum talis sententiæ vel *indicium* reperire potui. Indicem consului rerum omnium quæ in Sancti Thomæ scriptis continentur; eventus idem secutus est.

Deinde illa ipsa Sancti Thomæ loca intuere, ubi sermo est de comparatione venialis cum mortali. Nulla enim, omnium inter mortale et veniale discrepantiarum, hâc unâ majoris erit momenti, si hæc revera existit; nulla magìs accuratè tradetur; de nullâ magìs enixè instabitur. De hâc, omnium maximâ (in adversariorum mente) discrepantiâ, nullam omninò injicit mentionem. Ut hoc et illo exemplo, inter plurima, affirmationem meam illustrem, in 1â 2æ Quæstionem lxxxviii. art. 2; in 2â 2æ Quæstionem xxxv. art. 3. intuere.

Et sanè, quàm nulla omninò S. Thomæ verba pro hâc Thesi adduci possint, ex *eo* maximè apparebit, si locum illum consideremus (De Veritate Quæst. xv. art. 4 ad 10) qui *solus* (quatenùs invenire possim) ab aliquibus adductus sit ut eam confirmet. Hic enim locus si nihil omninò ad

rem faciat, multò minùs *alia* ejus verba adversariis favebunt; quum ipsi nulla omninò nisi *hæc* adducant. Pro quibus tamen intelligendis, hæc prænotentur.

Nullum esse mortale peccatum nisi adfuerit 'advertentia plena,' ab omnibus theologis uno ore clamatur: hæc sola igitur inter Catholicos disceptatio esse potest, an plena hæc advertentia sit ad *substantiam* actûs an etiam ad ejus *malitiam*. Nemo omnium dubitavit, si nulla præcesserit ad *substantiam* actûs advertentia plena, mortaliter non peccari; v. g. si motus etiam vehementes vel iracundiæ, vel etiam in genere fœdiores, orti sint in appetitu sensitivo, et diu etiam duraverint,—immò et si voluntas (pro sympathiâ potentiarum) illis consenserit,—*quin tamen intellectus plenè adverterit quid agatur*. Plenam advertentiam, inquam, ad *substantiam* actûs omnes ad unum requirunt, ut mortaliter peccetur. In verbis autem S. Thomæ quæ jam sequuntur, nihil omninò affirmat Doctor Sanctus, nisi hanc indubitatissimam propositionem.

'Ad decimum dicendum, quòd antè quàm *ratio delectationem perpendat* vel nocumentum ipsius, *non habet interpretativum consensum* etsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente et de nocumento consequente, utpote cùm percipit homo se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari et in præceps ruere, *nisi expressè resistat*, videtur consentire.'

Vides Angelicum hìc hominem in duobus (quasi) mentis statibus compararc. Primò hominem considerat, priùs quàm *vel* ad substantiam *vel* ad malitiam actûs adverterit; posteà eum considerat, quum jam ad utramque advertit. De viro autem illo qui ad substantiam actûs adverterit *sed non* ad malitiam—de hoc, de quo *tota* inter Catholicos versatur controversia—ne verbum quidem hìc ingerit. In hâc re tamen quæ revera sit ejus sententia, non nobis divinandum relinquitur; in Summâ enim eam expressè profert, ut jam ostendam. Expressè eam profert, et expressè *contra* Thesim illam cui me oppono.

Locus ille, de quo loquor, in 1ª 2æ Quæst. lxxiv. art. 7 et 8 reperiendus est. In priore illo articulo objectio secunda, quam Doctor Sanctus sibi opponit, ità argumentatur. ‘ Ratio superior intendit rationibus æternis inspiciendis et consulendis. Sed quandoque consentitur in actum *non consultis rationibus æternis* [scilicet, *non consideratâ ejus malitiâ*], non enim semper *homo cogitat de rebus divinis* quando consentit in aliquem actum.’ Objectioni huic ità respondet. ‘ Ex hoc ipso, quòd ratio superior *non* dirigit actus humanos secundùm legem divinam, impediens actum peccati, *dicitur ipsa consentire;* sive *cogitet* de Lege Æternâ *sive non.*’ Et in articulo sequenti consensum hunc esse mortale peccatum expressè affirmat.

Tota quam tradit S. Thomas de ignorantiâ concomitante doctrina, priùs quàm epistolæ huic finem faciam, accuratè erit perpendenda. Hìc tamen ad rem erit indicare, non inconsiderationem modò, sed et ignorantiam, si ea sit quæ concomitans dicitur, à peccato mortali non excusare.

In 1, 2 Quæst. lxxvi. art. 2 ad 3, ‘ interdum ipsa inconsideratio est peccatum.’

Si verò mentem Sancti Doctoris attentiùs spectes, eum longiùs etiam in hâc viâ progredi invenies. Non cogitâsse enim de actûs malitiâ, adeòque nec de regulâ morum, non modo *non,* eo judice, à mortali excusat, sed in eo ipso *consistit* peccatum, quòd actum humanum quis ponat hâc non adhibitâ consideratione. Videndi gratiâ.

1, 2 Quæst. lxxv. art. 2 ad 1. ‘ Ex hoc enim, quòd aliquid proponitur ut appetibile secundùm sensus, et appetitus sensitivus inclinatur ad illud, *ratio interdùm cessat à consideratione regulæ debitæ,* et *sic* voluntas producit *actum peccati.*’

Ib. in corp. ‘ Causa peccati est aliquod bonum apparens motivum, *cum defectu debiti* motivi, scilicet *regulæ rationis vel legis divinæ.*’ ‘ Ipsum’ autem ‘ motivum, quod est apparens bonum, pertinet ad apprehensionem sensûs et appetitûs; ipsa autem *absentia regulæ debitæ*

pertinet ad rationem, quæ *nata est hujusmodi regulam considerare.*'

Ib. ad 3. ' Efficitur peccatum innaturale, ex hoc ipso, quòd *deficit regula naturalis,* quam homo, secundùm naturam suam, debet *attendere.*'

Quæst. lxxi. art. 6 in corp. ' Habet actus humanus quòd sit malus, ex eo quòd *caret debitâ commensuratione.*'

Quæst. lxxiv. art. 6 in corp. ' Quando *deficit* ratio in directione interiorum passionum, dicitur *peccatum* in *ratione.*'

Quæst. lxxv. art. 1 in corp. ' Voluntas *carens directione regulæ rationis et legis divinæ,* intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actûs per accidens et præter intentionem: provenit enim *defectus ordinis* in actu ex *defectu directionis* in voluntate' [ratione ?].

Ib. art. 3 in corp. ' Causa interior peccati est, et *voluntas* ut *perficiens* actum peccati, et *ratio* quantùm ad *carentiam debitæ regulæ* et,' &c.

Hæc omnia in paucis illis Quæstionibus reperiuntur, quæ à lxxi. exordiuntur et usque ad lxxvi. attingunt. Hæ autem, et non aliæ, ipsissimæ sunt Quæstiones, in quibus, 1. Peccata *in se ipsis* S. Thomas considerat, et 2. *Causam* peccati *ex parte rationis.*

Huc etiam referenda sunt verba illa S. Augustini (apud S. Thom. lxxi. art. 6, 3): ' Peccare *nihil aliud est* quàm, *neglectis æternis,* temporalia sectari.'

Et sanè, si mentis humanæ conditionem spectes, nihil totâ hâc doctrinâ magìs est rationi consentaneum. Boni enim et honesti cognitio tam mentibus omnium ab ipso rationis exordio adest, tam ineradicabiliter insita est, tam semper et perpetuò (ut ità dicam) quid jure sibi dandum sit clamat, ut ne barbarissimus quidem cognitione illâ carere, ne perditissimus quidem illius possit oblivisci. Plurima proculdubiò, quæ revera mala sunt, bona esse barbarus ille facilè judicabit, idque persæpe ex gravi suâ culpâ; hoc autem, vel gravissimis culpis implicatus, nunquam

ignorare poterit,—scilicet *esse* quidem rem illam quam *honestatem* vocamus, et tantam in actus humanos auctoritatem jure sibi vindicare, ut quisquis, ob maximam omnium delectationem, ad minimum omnium bonum honestum transgrediendum inducatur, is et culpam admittat et pœnam mereatur. Perditus etiam ille, in omni peccandi consuetudine versatus, hujus et illius virtutis pulchritudinis facilè oblivisci potest; oblivisci potest, quid in cujusvis materiâ virtutis agere aut omittere oporteat; *hujus* autem *nunquam* poterit oblivisci, quod nec barbarus (ut dixi) potest ignorare,—scilicet *esse* quidem rem illam quam honestatem vocamus, et cætera quæ suprà exposui.

Illud igitur quod de ordine supernaturali ait S. Bernardus,* hoc etiam in ordine naturæ verissimum est. ‘ Laborandum non esse ut ad *Vocis* hujus perveniatur auditum, *laborem esse potiùs aures obturare ne audias.* Nimirùm Vox Ipsa se offert, Ipsa Se ingerit, nec *pulsare* interim *cessat* ad ostia singulorum.’ In hoc præcisè, ut existimo, perditissimorum hominum nequitia se ostendit, quòd Voci huic, dum se offert, dum se ingerit, aures prorsùs obturent. Et hæc est implicita illa de malitiâ suâ cogitatio, quam (ut jam dixi) mentibus mortaliter peccantium nunquam non subesse existimo. Qui in malo nondum sunt obdurati, Voci illi sæpissimè obedire renuunt; obduratorum autem est, aures obturare ne ipsam distinctè audiant. Hoc ipsum ‘ aures obturare,’ ad voluntatem pertinet à Deo penitùs aversam; et idcircò inter peccata omnium gravissima adnumerandum est.

Non hìc autem tam quid postulet philosophia sana, quàm quid sentiat S. Thomas, quærendum est; et de hâc re quidem non multa subjicere necesse est. Si ‘ rationem cessare à consideratione regulæ debitæ’ est ipsa *causa* peccati, à peccato certè non excusabit; si, testante Augustino et confirmante Thomâ, ‘ peccare *nihil aliud* est quàm neglectis æternis temporalia sectari,’ qui tempo-

* Sermo de Convers. Cleri, cap. ii. Hunc locum laudatum inveni apud P. Passaglia ‘ de Partitione Divinæ Voluntatis,’ § lx. ad finem.

ralia sectatus est, certè non ob hanc præcisè causam à mortali excusabitur, *quia* ‘ neglexit æterna.’

Unum denique addam S. Thomæ testimonium, idque vel maximè mirandum. Tam prorsùs enim, tam penitùs, considerationem malitiæ non requiri ad mortale judicat, ut omnem actum humanum *mortale esse peccatum* profiteatur, in quo Deus *non* consideretur; nisi fortè fiat ab homine, qui jam *habitu* omnia opera sua ad Deum referat. Hæc sunt Sancti Doctoris verba: ‘ Sufficit quòd aliquis *habitualiter* referat se et omnia sua in Deum, ad hoc quòd non *semper mortaliter peccet*, cùm aliquem actum *non refert in gloriam Dei actualiter*. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actûs humani in gloriam Dei, sed solùm actualem; quia non excludit *caritatem*, quæ *habitualiter* ordinat in Deum.’ (1, 2 Quæst. lxxxviii. art. 1 ad 2.)

Hæc verba etiam, quod notatu dignum est, non obiter dicta sunt inter rem aliam tractandam, sed in expressâ comparatione mortalis cum veniali occurrunt. Ut sensum quidem eorum intelligamus, hoc observandum est. Illum actum qui *in bonum honestum* feratur sine ullâ ad *Deum* advertentiâ, ad Deum tamen *implicitè* referri tanquam omnis boni Auctorem, S. Thomas semper credidit; ità Thomistæ omnes (ni fallor) uno ore profitentur. Verba hæc igitur propositiones illas damnatas nequaquam continent, ‘ omnia opera infidelium sunt peccata;’ ‘ necesse est infidelem in omni opere peccare.’ Neque ità tamen limitata, verba ea satìs intelligere possum; ne dicam, quasi omninò vera accipere. In hunc autem finem ea citavi, ut videas quàm ‘ toto cœlo’ à Thesi illâ discrepet Angelicus, quæ animadversionem explicitam malitiæ ad peccatum mortale requiri affirmet.

VI.

Hæc sunt quæ, ex scriptoribus quos ego noverim, contra Thesim illam adducenda habui. Si rationibus etiam, et non auctoritate solùm, res dirimenda est, hâc in parte

sufficient consectaria illa, quæ in principio exposui utpote quæ ab illâ necessariò fluere mihi videantur. Si enim, ut jam dixi, consectaria hæc fœdissima sunt et absurdissima, Thesim ipsam falsitatis vehementer arguent. Hoc igitur solùm restat, ut rationibus, si quæ in contrarium adduci possint, respondeam. Hujusmodi autem argumentum ne unum quidem audivi aut excogitare possum, nisi quod sequitur.

" Voluntas à veniali in mortale facilè transire potest," ità fert argumentum hoc cui respondere volo, " quin ta-
" men ulla sit voluntatis *mutatio;* hâc ipsâ de causâ, quòd
" in hoc momento adsit, in illo autem desit, *plena libertas.*
" Ità, quum 'voluntas attrahitur quasi natura,' ut aiunt
" scholastici, et motibus concupiscentiæ primò-primis con-
" sentit, nullum omninò peccatum committit; posteà verò,
" quum secundò-primis consentit, veniale; postremò,
" quum consentire pergit (si materia sit gravis), mortale.
" Ecce voluntas, sine ullâ mutatione, à nullo tamen pec-
" cato ad veniale, à veniali ad mortale, transit. Et eo-
" dem modo, quum nulla est malitiæ explicita conside-
" ratio, *plena non adest libertas,* adeòque nec mortale
" peccatum."

" Si plena non adest libertas, nullum est mortale peccatum." Concedo. " Quum voluntas motibus concupiscentiæ primò-primis et secundò-primis consentit, non plenâ gaudet libertate." Concedo. " Quum mens, omninò sui compos, in voluptatem quandam explicitè fertur, quumque principium adest proximum intelligendi actum esse mortaliter malum, voluntas non plenâ gaudet libertate"—strenuè nego.

' Sæpe homo,' ait Bellarminus in loco jam citato, ' rem oblatam continuò amplectitur, et tamen liberè, quia tametsi non deliberavit, deliberare *potuisset si voluisset.*' Adversarius contrà, in eo plenam libertatem sitam esse existimat, quòd in hoc ipso momento distinctè et clarè quasi pulset animum solicitatio ad contrarium. Quid ab hâc sententiâ necessariò sequeretur, consideremus.

Caius, quum grave quoddam scelus in materiâ sexti præcepti patrare cupit, illius tamen assecutionem non sine magno negotio comparandam, remque ipsam mille difficultatibus circumdatam, invenit. In illud igitur omnes animi vires intendit, ut has difficultates superet. Sui prorsùs compos est; voluntate tamen in rem hanc turpissimam quàm maximè intentus. Ex ipsâ hâc mentis virium intentione sequitur, ut ad bonum honestum *nulla omninò* adsit talis solicitatio, quæ animum ejus quasi clarè et distinctè pulset. Principium tamen proximum habet hoc considerandi, quum rem ipsam quam agit esse peccatum mortale habitualiter et indubitanter sciat. Quis, non dicam theologus, sed quis non omnium perditissimus, negare audebit, viri hujus mortale peccatum tam diu continuari, quàm his turpissimis machinationibus se totâ voluntate ingerit? An ipse Caius, si (Deo adjuvante) resipiscat, id negabit? nonne potiùs hanc ipsam inconsiderationem quàm maximum putabit esse hujus rei indicium, scilicet in quàm fœdum abyssum sese cum omnimodâ libertate conjecisset; in quàm fœdo abysso sese cum omnimodâ libertate retinuerit?

Plenam libertatem in eo sitam esse existimas, quòd in hoc ipso momento clarè et distinctè quasi pulset animum solicitatio ad contrarium? Ecce tu ad orandum mentem applicare conaris. Primò quidem distractiones quàm plurimæ te ex omni parte aggrediuntur; de mundi voluptatibus, de amicis, de theologiâ, occurrunt cogitationes. Huic tamen tentationi, Dei gratiâ adjutus, totis viribus, intensissimo conatu, resistis, præclaramque tandem refers victoriam. Dum pugna manet, magna utique merita tibi cumulas. Quum pugna verò jam cessavit, et victoriæ quam retulisti fructibus in pace vis potiri;—quum suavissima cum Deo protrahis colloquia;—quum Christi Mysteriis mentem attentissimam præbes;—ecce *merita* nova vix accrescunt. Nulla enim jam manet in hoc ipso momento talis, quæ animum tuum quasi clarè et distinctè pulset, solicitatio ad contrarium: plena igitur libertas esse

desiit, nec *magìs mereri potes* quàm si esses *semi-vigilans* aut quidem semi-ebrius.

Ipsa verò Virgo Beatissima, ab horâ Conceptionis Immaculatæ usque ad horam Assumptionis, *ne semel quidem plená gavisa est libertate.* In quâ enim vel brevissimâ temporis morâ solicitatio aliqua ad peccatum mentem ejus pulsabat ?

Et quidem si aliquid omninò huic objectioni dandum esset, et si de Beatissimæ libertate theologicè et philosophicè disserendum esset, longè major esset difficultas in *eá* adstruendâ, quàm in hâc, de quâ nos agimus, tuendâ. Perditissimis enim hominibus, teste Bernardo, Dei Vox ità se offert, se ingerit, ut iis *labor* sit aures obturare ne audiant: atque idem in ordine etiam naturæ verum esse, ut jam dixi, pro certo habeo. Hoc autem ut prætéream et de ordine solùm supernaturali loquar, suavem et *indesinentem* pellectionem Deus infinitè Misericors in corda sceleratissimorum influit. Quæ autem omninò talis ad *malum* solicitatio Beatissimæ adfuit? Absit ut id etiam somniemur !

Non abs re igitur erit, si hoc et illud testimonium proferam, de indesinente hâc Gratiæ interioris pellectione. De Senonensi Concilio ait Suarezius (De Gratiâ Prolegomenon 6, cap. 5, § 6), 'licet non sit *hæreticum* sentire aut dicere Concilium illud in aliquo dogmate errâsse, . . nihilominùs non posse talem assertionem à *temeritatis* notâ excusari.' Concilium autem hoc expressè affirmat (can. 15), 'ne *momentum quidem prætérire*, in quo Deus non stet ad ostium et pulset; *cui si quis aperuerit*, intrabit ad illum et cœnabit cum illo.'

Auctor cujus opera sub S. Dionysii nomine feruntur,* quique maximè orthodoxus semper habitus est, hoc ait: 'Immensum et infinitum divini luminis pelagus *semper* paratum est et *patet omnibus* ad participandum.'

* Apud 'Medullam Theologicam auctore Ludovico Abelly' De Gratiâ, cap. 2, § 4. Canon ille Concilii Senonensis ibidem laudatur; eum tamen ante perpenderam, quàm Abellyi liber in manus venisset.

Orosius,* 'qui S. Augustini discipulus fuit, cujusque operâ et studio Sanctus ille Pater ad Pelagianam hæresim profligandum plurimùm usus fuit,' sic loquitur: 'Mea semper hæc est *fidelis atque indubitata sententia*, Deum adjutorium suum .... universis in hoc mundo degentibus .... *subministrare*, idque *speciatim*, quotidie, *per tempora, per dies, per momenta, per atomos*, et cunctis et singulis.'

Verba etiam illa Bernardi iterùm citare libet: 'Laborandum non esse ut ad Vocis hujus perveniatur auditum, laborem esse potiùs aures obturare ne audias. Nimirùm Vox Ipsa se offert, Ipsa se ingerit, *nec pulsare interim cessat* ad corda singulorum. Denique *quadraginta annis proximus fui generationi huic*, et dixi *semper* hi errant corde. Adhuc proximus *nobis* est, et non est fortè qui audiat.'

Denique hoc totum de libertate argumentum *à Pelagiano fonte profluxit*. Synodi etenim Palæstinæ acta intuere. Hujus Synodi Patres, ait Suarezius (de Gratiâ Prolegom. 6, cap. 3, § 6), 'licet de Gratiâ benè sentirent, et *in fidei doctrinâ nihil erraverint*, nihilominùs in *facto pertinente ad personam* Pelagii decepti fuerunt.' Quid autem in Synodo hâc factum fuerit, narrat Augustinus; ejusque narrationem in calce illius Prolegomeni Sexti subjecit Suarezius. Ex narratione illâ quæ sequuntur excerpo.

'CAPUT XIII.

'Nam in sexto capitulo Cœlestii libri positum objectum est ....

'In *septimo* capitulo, *oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato;* quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed *secundùm necessitatem:* cùm David dicat,' subdit Augustinus, 'Delicta juventutis meæ ne memineris et *ignorantiæ meæ;*' et cùm in lege sacrificia *pro ignorantiâ*, sicut pro *peccato*, offeruntur.

'In decimo capitulo, &c. ....

* Vide not. p 37.

‘ His recitatis, Synodus dixit, ‘ Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius Monachus ? Hoc enim *reprobat* Sancta Synodus et *Sancta Dei Catholica Ecclesia*.’ Pelagius respondit, ‘ Hæc . . . . non sunt mea ; . . . . quæ autem dixi non esse mea, *secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo*, anathema dicens omni contravenienti sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis.’ . . . . .

‘ Synodus dixit : ‘ *nunc* quoniam satisfactum est nobis persecutionibus præsentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, *contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat et anathematizat*, communionis Ecclesiæ eum esse Catholicæ confitemur.’ ’

Inadvertentiam autem oblivionem quandam esse, nemo inficias ibit. Ex his autem quæ dicta sunt apparet, 1° priùs quàm Pelagius, *tanquam Catholicus*, ab hâc Synodo reputaretur, eum coactum esse hanc sententiam *reprobare* (et quidem, ut videtur, anathematizare) ‘ oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato :’ 2° Cælestium, Pelagii amicum, nullum aliud ob argumentum, teste Augustino, in errorem eum pervenisse, nisi ob hoc ipsum quod nos tractamus ; scilicet, quia oblivio ‘ eveniat’ non *liberè*, sed ‘ secundùm necessitatem.’

VII.

Ut huic priori igitur epistolæ meæ parti finem aliquandò ponam, quid ex dictis sequatur consideremus. Thesim hanc igitur, in totâ latitudine acceptam, vix, aut ne vix quidem, unus reperiendus est theologus qui affirmet. Qui sibi omninò constant in eâ rejiciendâ, ex illis quos noverim scriptoribus, (ut existimo) sunt Gerdilius, Suarezius,* Bellarminus, Bertius, Billuartius, S. Alphonsus,

* Postquam ea scripseram et typis mandâram quæ de Suarezii sententiâ protuli, locum quendam Eximii Doctoris inveni, in quo expressam requirere videtur advertentiam,—non quidem ad peccatum formaliter mortale,—sed ad hoc, ut peccatum *continuatum*, materialiter mortale, in quovis momento formaliter imputetur. Hæc sunt ejus verba. (De Juramento, lib. 3, cap. 6, § 3.)

‘ Tertio modo esse potest status peccati mortalis, quasi medius inter ac-

ipse Doctor Angelicus. Propositiones porrò duæ ab Ecclesiâ reprobatæ sunt,* quæ ab hâc Thesi necessariò profluunt. Argumenta denique quàm validissima pro hâc parte quam amplector suppetunt : pro oppositâ autem unum solummodò ; idque ejusmodi, ut consectaria ejus directa et proxima non possis explicare, quin pii cujusvis animus exhorrescat.

Sententiam meam igitur, quasi in formâ, proferam.

tum et habitum ; quia ad illum nec necessarium est actu peccare, nec sufficit peccâsse ; sed *ultra permanentiam in peccato commisso*, addit *tantam deordinationem* illius statûs, ut *de se sit objectum novi peccati mortalis :* ità ut quoties homo *advertit* se esse in illo statu, et vult permanere in illo formaliter *vel indirectè*, novum peccatum mortale committat. Sic dicitur esse in statu peccati, qui tenetur restituere et non restituit cùm possit; quia ex vi illius statûs *semper actu peccat*, solùmque *interdùm* non peccat, quia de illo actu non considerat; quoties verò considerat et ità permanere vult, actu peccat : et ità ille status et est objectum peccati mortalis, et de se est *quasi continuum peccatum externum*, quamvis ex defectu attentionis et *actualis voluntatis* interrumpatur.'

Valeat quantùm. Ego quidem non possum non existimare, Suarezium, cùm hìc de ' defectu attentionis' loquitur, de inconsideratione naturali et invincibili loqui, non autem de eâ quæ ex ipso peccandi affectu exoriatur. Hoc ut existimem, duo argumenta mihi suadent. Primò, receptissimum illud in theologiâ axioma, scilicet, quum doctor aliquis rem quandam explicitè ante oculos ponit, quæ de eâ re *tum* dicat pro verâ ejus sententiâ accipienda esse ; et cætera juxta illam regulam interpretanda. Jam verò in aliis quæ citavi locis, inadvertentiam illam explicitè ante oculos ponit Doctor Eximius, quæ ex voluntate malâ exoritur ; et in iis locis idem omninò apud Suarezium est, ' considerationem actualem habere,' et ' illam habere *in manu suâ* si *velit attendere*' (de Gratiâ, lib. i. cap. 13, § 5) ; idem est omninò ' objectum actu considerari ut pravum,' et ' considerari posse et ex negligentiâ vel industriâ omitti (ib. cap. 12, § 3). *Hìc* autem quæstio illa de inadvertentiâ *graviter culpabili* procul animo *abesse* videtur ; totus est in phrasi illâ ' statu peccati mortalis' explicandâ. Hic locus igitur juxta regulam ab eodem auctore aliter traditam interpretandus est.

Deinde pondero illud verbum ' interdùm.' ' Ex vi illius statûs *semper actu peccat*, solùmque *interdùm* non peccat quia de illo actu non considerat.' Hoc si de inconsideratione naturali et invincibili dicatur, nihil clarius, nihil facilius. Quis autem dicat hominem, vel modicè injustitiæ assuetum, non nisi ' *interdùm*' ab *expressâ et distinctâ* ejus consideratione cessare ?

---

* Propositio enim illa de oblivione et ignorantiâ, juxta superiùs dicta, ab Ecclesiâ certè reprobari dicenda est.

Thesis quædam est quæ affirmat, *ad mortale peccatum requiri præsentem et explicitam animadversionem ad actûs malitiam.*

Hæc Thesis, si ità accipiatur ut inter quosdam limites sit vera, et intra eos limites optimam persæpe regulam suppeditet per quam mortale dignoscatur,—illam meritò hanc sibi laudem vindicare libentissimè profiteor: si ità restringatur et limitetur, et verissima est et in praxi utilissima. Qui verò sint, ut puto, isti limites, in principio epistolæ hujus exposui.

Si verò, utpote sine restrictione vera, affirmetur;—si hanc præsentem et explicitam malitiæ animadversionem in ipsâ essentiâ mortalis peccati quasi imbibitam et inhærentem quis asseveret;—de Thesi hâc ità acceptâ hoc censeo. Quoad auctoritatem, censeo illam non modò ne tenuissimâ quidem probabilitate gaudere, sed et ab Ecclesiâ bis esse implicitè reprobatam; in reprobatione scilicet propositionum duarum, quarum alia de ignorantiâ est et de oblivione, alia de Peccato Philosophico. Quoad verò argumenta quæ utrinque adduci possint, Gerdilii sententiam omninò sequor: censeo dogma esse perversum, de Manichæis ipsis hæreticorum pessimis vix credendum, quodque jure horreret quivis simul atque audiret.

VIII.

In hanc igitur sententiam quum jam indubitanter omninò perveneram, ad difficultates illas, quas in principio exposui, solvendas, mentem protinùs accinxi: et de quodam dogmate, à S. Thomâ sæpe tradito, tandem cogitavi, quod ad hoc in primis aptum esse videbatur. Dogma hoc omnes ad unum, post Thomam, tradiderunt auctores; nemo clariùs et distinctiùs Scavinio. Hæc Scavinii sunt verba.

'*Q.* Quot modis peccatum, ex se veniale, evadit mortale?

'*R.* Modis variis. 1. . . . .

'*2. Ratione mali affectus:* si quis v. g. rem venialiter

malam aut *indifferentem* perficiens, *paratus animo* sit eam facere *tametsi esset mala mortaliter;* satìs enim ostendit suam voluntatem in malum, et quantùm est in se, *jam illam præfert* divinæ amicitiæ.' (*De Vitiis et Peccatis in genere,* disp. 1, cap. ii. art. 3.)

Omnes, ut dixi, post Thomam auctores hoc dogma tradiderunt; sed non omnes, ut existimo, quid Thomas in hoc dogmate astruendo sibi velit, penitùs intellexerunt. Aliqui, forsan non pauci, id intellexerunt; non autem omnes.

Ut Sancti Doctoris hâc in re mentem capiamus, primò doctrinam ejus de ignorantiâ comitante libet considerare. In 1ª 2æ Quæst. lxxvi. art. 1, in corp., quid sit ignorantia comitans explicat. 'Si voluntas alicujus esset sic disposita, *quòd non prohiberetur ab actu parricidii* etiamsi *patrem agnosceret,* ignorantia patris non est huic causa peccati, sed *concomitanter* se habet ad peccatum.' Pari omninò ratione, si voluntas alicujus esset sic disposita, quòd non prohiberetur à Missæ omissione, etiamsi obligationem ejus jam urgere agnosceret, obligationis ignorantia non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum. Et in art. 4 in corp. subdit, ignorantiam comitantem 'nec minuere peccatùm nec augere.'

Mirum est quantùm interpretes aliqui his verbis torqueantur; quæ nullam tamen, ut ego existimo, secum afferunt difficultatem. Hunc, concomitanter ignorantem, *parricidii formalis* esse reum nusquam ait S. Thomas; sed tantummodò eum non *minùs graviter peccare,* quàm si sciret. Et hoc quidem, ut mihi videtur, consequenter omninò principiis suis. *Peccati enim gravitas quod in quovis instanti committitur* (ità S. Thomam censere puto), *ex hoc præcisè pendet, scilicet quàm effrænato, et quàm Dei præceptorum irrespectivo impetu, voluntas in illo instanti liberè feratur ad bonum commutabile.* Hoc autem si concedatur, manifestè sequitur, eum qui in hoc instanti tam effrænatè feratur ad bonum commutabile, ut *ex vi præsentis illius voluntatis actûs,* patrem potiùs occideret quàm

bonum illud amitteret, — hunc ipsum hominem, in hoc ipso instanti, tam graviter peccare, quàm si revera patrem occideret.*

Hoc igitur principium si concedamus, facillima et maximè perspicua evadet Sancti Doctoris de ignorantiâ comitante sententia: aliàs inextricabilis prorsùs et infinita erit perplexitas. Hoc principium autem revera semper Thomam supponere, à multis aliis locis manifestum est. Horum aliqua jam sequentur.

'Si in tantum amor divitiarum crescat, quòd præferatur caritati; ut scilicet, *propter amorem divitiarum* aliquis *non vereatur facere* contra amorem Dei et proximi, sic avaritia *erit peccatum mortale.* Si autem *inordinatio* amoris *intra hoc* sistat, ut scilicet homo, quamvis superfluè divitias amet, *non* tamen *præferat* earum amorem amori Divino, ut si propter divitias *non velit* aliquid facere contra Deum et proximum, sic avaritia erit peccatum veniale.' (*2. 2.* Quæst. cxviii. art. 4, in corp.)

'Inordinatio timoris,' qui est in voluntate, 'quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis vel quodcunque aliud temporale malum, *sic dispositus est* ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege divinâ, *talis timor erit peccatum mortale;* alioquin erit peccatum veniale.' (Ib. Quæst. cxxv. art. 3, in corp.)

'Si inordinatio concupiscentiæ accipiatur in *gulâ* secundùm *aversionem à fine ultimo*, sic gula erit *peccatum mortale.* Quod quidem contingit, quandò delectationi gulæ inhæret homo *tanquam fini, propter quem* Deum contemnit: *paratus* scilicet *contra præcepta Dei agere*, ut delectationes hujusmodi assequatur.' (Ib. Quæst. cxlviii. art. *2,* in corp.)

* Quum hoc dico, non opus est dicere me abstrahere omninò à mirâ illâ in malo *obdurationc*, et magis magisque effrænatâ in bonum delectabile propensione, quæ (ut communiter ab auctoribus dicitur) per operis *consummationem externam* accrescunt.

'Quia actus morales recipiunt rationem boni et mali non solùm ex objecto, sed etiam *ex aliquâ dispositione agentis*, contingit quandoque quòd id quod est peccatum veniale ex genere *ratione sui objecti*, fit *mortale ex parte agentis;* vel quia in eo *constituit finem ultimum* vel, &c.' (1. 2. Quæst. lxxxviii. art. 2, in corp.)

Nemo hæc loca perleget, quin videat S. Thomæ menti *eandem* omninò doctrinam obversatam esse, quum ea *singula* scripserit; et ad quemvis eorum rectè intelligendum nihil meliùs collaturum esse, quàm ut illum cum reliquis attentè comparemus. Hoc autem si faciamus, certo certiùs apparebit, virum illum mortaliter peccantem, de quo sermo est in utrovis eorum locorum, non peccatum aliquod *objectivè* mortale meditari, sed solum ita effrænatè in bonum commutabile trahi, ut *ex vi actûs illius voluntatis* peccaret potiùs mortaliter quàm bonum illud amitteret.

Priùs quàm autem aliqua argumenta proferam, hoc ipsum *quid sibi velit* te accuratè intelligere enixè cupio; id enim aliqui non facilè admodùm capiunt. Hanc igitur accipe comparationem. Qui actum amoris Dei super omnia jam elicit, eum sæpissimè fit de peccato mortali nullatenùs cogitare; et tamen jam ità ad Deum ejus voluntas fertur, ut *ex vi hujus præsentis actûs* moreretur potiùs quàm mortaliter peccaret: actus hic est 'incompossibilis,' ut aiunt, cum actu mortaliter malo. Ità et qui bonum delectabile tam perditè desiderat, sæpissimè fit *eum* de peccato mortali nullatenùs cogitare; et tamen ad bonum delectabile voluntas ejus tam inordinatè fertur, ut *ex vi hujus præsentis actûs* mortaliter peccaret potiùs quàm bonum illud amitteret: et *ità*, interrogatus, (si verum loqui velit,) *de facili respondebit.*

In actu amoris Dei super omnia, Creator appretiativè magìs diligitur quàm creatura; ità ut ex vi illius actûs, à creaturâ quâvis, potiùs quàm à Creatore, amans ille Dei discederet: et hic actus sæpissimè à viro elicitur, qui jam nihil de creaturâ aliquâ cogitat. Pariter in actu amoris creaturæ graviter deordinato, *creatura appretiativè magìs dili-*

gitur quàm Creator; ità ut ex vi illius actûs, à Creatore, potiùs quàm ab illâ creaturâ, peccator discederet: et hic pariter actus (ità S. Thomam censere arbitror) sæpissimè ab eo elicitur, qui jam nihil de Creatore Ejusque offensâ explicitè cogitat.

Eandem comparationem paullò aliter jam perpende. Actus ille amoris *Creatoris* est actus voluntatis, *cum quo stare nequit* ut peccatum mortale committat, vel scienter, vel etiam in inadvertentiâ graviter culpabili: (videantur Vasquez. in 1^am^ 2^æ^, disp. v. cap. 1; Suarez. de Gratiâ, lib. 7, cap. xviii. § 6; jam citati:) actus tamen qui benè potest manere, et sæpissimè etiam manet, dum de peccato *nil* expressè cogitat. Ità etiam actus hic amoris *creaturæ* est actus voluntatis, cum quo stare nequit, ut à creaturâ illâ (divitiis v. g., honore, gulæ delectatione) se abstineat, merè ob Dei offensam gravem evitandam: actus tamen hic ipse sæpissimè *manet*, dum homo *nil* de Dei offensâ expressè *cogitat*.

Porrò fieri potest, eum qui jam elicit actum amoris Dei super omnia, posteà relabi in mortale; sed ut hoc fiat, actum hunc amoris *desinere* necesse est. Ità etiam fieri potest, eum qui inordinatum hunc actum jam elicit erga bonum commutabile, posteà resipiscere, et, ob bonum illud, mortale vel minimum patrare recusare; sed ut hoc fiat, necesse est actum hunc inordinatum erga bonum illud *desinere*.

De tali igitur actu voluntatis Sanctum Doctorem loqui, —actu scilicet, *ex vi cujus* vir *paratus sit* mortaliter peccare, non verò plerumque id *expressè* et *reflexè* secum statuat,— de tali actu eum loqui, abundè ex ejus verbis constabit.

1. 'Si *in tantùm* amor divitiarum *crescat*, quòd, &c.' Jam verò, quantùm amor divitiarum in viro aliquo *creverit*, tum accuratè dimetiri possemus, quum sciremus quanta peccata ob illas vir hic '*non vereatur facere*' (Q. cxviii.); '*dispositus sit* ut faciat' (Q. cxxv.); denique contrà quàm gravia 'præcepta Dei *paratus sit* agere' (Q. cxlviii.). Contra:—ex peccatis illis quæ, ex vi præsentis actûs quo ad divitias fertur, 'dispositus est,' 'paratus est,' 'non veretur,'

facere,—ex illis inquam peccatis, *quid* demùm patrare decernat, aut *an aliquid omninò eorum in mentem veniat, hoc* non ex amore divitiarum vel minimâ in parte pendebit; sed ex mero casu, ex merâ fortunâ.

Similiter: in duobus quæ sequuntur locis locutus est Angelicus de 'inordinato' quodam 'voluntatis' actu, vel erga 'vitationem periculi,' vel erga 'delectationem gulæ;' et inordinatum hunc actum esse mortale peccatum pronuntiat. Inordinatio autem actûs ejusmodi in eo apparebit, qui jam ità ad bonum delectabile trahitur, ut ex vi illius actûs '*non vereatur* facere contrà amorem Dei et proximi;' '*dispositus sit* ut faciat aliquid prohibitum;' '*paratus sit* contra præcepta Dei agere.' Hìc autem idem, quod suprà dixi, rursùs dicendum est. Ex peccatis illis quæ ità 'dispositus est,' 'paratus est,' 'non veretur,' patrare, quid demùm patrare decernat,—*aut an aliquid eorum in ejus mentem veniat*—hoc non ex inordinato voluntatis impetu vel minimâ in parte pendebit; sed ex mero casu, ex merâ fortunâ.

2. Deinde pondera, qualis sit, secundum Thomam, actus ille amoris divitiarum, qui *veniale* sit peccatum. An ille est, qui tum procedit, quum *de peccato objectivè mortali non expressè cogitatur?* Minimè quidem: 'si inordinatio amoris *intra hoc* sistat;—ut scilicet homo, *quamvis superfluè divitias amet,*' non tamen *ità* ut 'propter eas velit aliquid facere contra Deum et proximum, est veniale peccatum.' Actus ille amoris divitiarum, vides, qui (juxta Auctorem) est veniale peccatum, est actus quidam cujus 'inordinatio *intra*' actûs *illius* inordinationem sistit, qui sit mortale peccatum. Quis dicet perditè avarum *minùs* inordinatè divitias prosequi in horis illis, in quibus, quamvis *avidissimè divitiis comparandis incumbat,* casu fiat ut de peccato objectivè mortali non expressè cogitet? Hoc quomodò vel minimâ in parte pertinebit ad *inordinationem* actûs, quo jam divitias persequitur?

3. Et quidem, si ulla aliter de hâc re posset esse dubitatio, (quamvis nullam posse existimo) si verba quæ hìc

Angelicus usurpat, cum verbis illis comparemus quæ in loquendo de *ignorantiâ comitante* usurpavit, res omninò confecta videbitur. De illo enim qui patrem ità ignoranter occidit ut à peccato non excusaretur, ' voluntatem ejus' ait ' esse ità *dispositam*, quòd non prohiberetur ab actu parricidii etiamsi patrem agnosceret.' Ecce ipsum illud verbum ' dispositus,' quo hìc utitur. Vir autem ille qui, concomitanter ignorans, patrem occidit, adeò non in illo momento *secum statuit* aut *sibi proposuit* patrem occidere, ut de patre nullatenùs cogitaret. Et tamen in illo momento ' ita *disposita* est' ejus voluntas, ' quòd non prohiberetur ab actu etiamsi patrem agnosceret.'

Aliud est, vides, in mente Thomæ, me ' mecum statuere' aut ' mihi proponere;' aliud omninò est et longissimè diversum, me ' *dispositum esse*,' ut hoc ipsum faciam. Neque, ut ad rem redeam, illum tantummodò dicit Auctor mortaliter peccare, qui ' secum statuat' aut ' sibi proponat' facere aliquid graviter prohibitum;—sed illum etiam qui, ex actu præsenti quo voluntas in bonum aliquod commutabile trahitur, ' *dispositus* sit' ut faciat aliquid graviter prohibitum.

Et hoc quidem satìs notum esse in theologiâ,—scilicet *dari* actum præsentem voluntatis, *ex vi cujus* homo peccatum aliquod patraret, de quo tamen peccato nullatenùs jam cogitat,—ex Lessii verbis jam citatis indubitatissimum evadit. Is enim de viro loquitur qui Deum *ignorat;* qui autem ' ità *in malum fertur*, ut etiamsi sciret esse Numen illud prohibens, *ex vi illius affectús* malum patraret.' Si Deum ignorat, de Deo offendendo non cogitat; et tamen ità in voluptatem illicitam jam ferri potest, ut ' *ex vi illius affectús*' offenderet Deum *si* cognosceret. Hunc autem in illo ipso actu *malitiam* contrahere offensæ Dei, res ipsa est quam Lessius expressè affirmat.

Ultimum autem locum eorum quæ à Sancto Thomâ citavi quicunque perlegerit (1, 2. Quæst. lxxxviii. art. 2, in corp.) et cum reliquis comparaverit, satis videbit quid Doctor Sanctus ibi sibi velit; quid inquam sibi velit, cùm

de viro loquitur, qui ex 'malâ suâ dispositione' 'constituit finem ultimum' in peccato eo, quod tamen 'est veniale *ratione objecti sui.*' Hunc ait in actu illo mortaliter peccare. Et hoc ipsum 'constituere in eo finem ultimum' nihil aliud esse omnes videbunt, quàm inordinatum illum elicere, erga bonum commutabile, voluntatis actum, de quo sermo fuit in aliis locis jam citatis.

Qui jam 'dispositus est' igitur ut aliquid faciat graviter prohibitum, eum minimè necesse est jam '*secum statuere,*' aut '*sibi proponere,*' ut id faciat: et tamen *jam*, judice Thomâ, mortaliter peccat. Non minùs sedulò tamen hanc S. Thomæ sententiam ab aliâ distinguere oportet, priori illi extremè oppositâ, quæ excogitari posset; scilicet, *proclivitatem* ad malum, quæ v.g. ex *habitu malo* procedat, ab Angelico pro peccato reputari. Hæc quidem sententia tam prorsùs ab omni sanâ theologiâ abhorret, ut quisquis eam proferre auderet, ei proculdubiò nota aliqua gravis inureretur. Absit igitur omninò ut tale aliquid Aquinati tribuamus! De peccati habitu tam aperta sunt quæ dicit, ut ea proferre libeat.

'Non est idem peccare habentem habitum, et peccare ex habitu. Uti enim habitu non est necessarium, sed *subjacet voluntati habentis.* Unde et habitus definitur esse 'quo quis utitur *cùm voluerit.*' Et ideò sicut *potest contingere,* quòd aliquis habens habitum vitiosum prorumpat *in actum virtutis,* (eò quòd ratio non totaliter corrumpitur per malum habitum, sed aliquid ejus integrum manet, ex quo provenit quòd peccator *aliqua* operetur de genere bonorum,) ità etiam potest contingere, quòd aliquis, habens habitum vitiosum, *interdùm* non ex habitu operetur, sed ex passione insurgente vel etiam ex ignorantiâ. Sed *quandocunque* utitur habitu vitioso, necessè est quòd certâ malitiâ peccet.' (1, 2. Quæst. lxxviii. art. 2, in corp.)

Plurimos quidem eorum actuum, qui ab homine fiunt habente habitum vitiosum, esse peccata, affirmare videtur Auctor; sed non omnes ejus actus. Habitum autem ipsum vitiosum nullum esse peccatum, sed actus solos qui

ex eo proveniunt, apertissimè testatur. Et posterius hoc etiam in Quæst. lxxi. art. 3, in corp. reperiendum est.

Et rem hanc ipsam eodem, quo suprà, exemplo illustrare possumus. Qui actum elicit amoris Dei super omnia, quis eum diceret *facilitatem* tantùm habere vitandi mortalia? aut *habitum* solummodò bonum? *Actus* est, jam à voluntate elicitus, cum mortali incompossibilis; et tamen qui sæpissimè *durat*, quum nihil omninò de peccato cogitamus. Eodem prorsùs modo, actus voluntatis, graviter inordinatus, erga bonum commutabile, *actus* est, non habitus, malus; *actus, ex vi cujus* vir *paratus est* potiùs peccare mortaliter, quàm delectatione illâ carere; *actus* tamen, qui sæpissimè *durat*, cùm nil omninò de peccato cogitatur.

Rem eandem ex alio principio colligamus. Nemo unquam peccat propter turpitudinem peccati. Quicunque igitur peccat mortaliter, ità peccat *ex vi cujusdam actûs voluntatis*, quo vir jam fertur *ad bonum delectabile*. Porro, quum nemo omnium peccati amat turpitudinem, *affectus* præsens voluntatis ad *peccatum mortale*, nihil omninò esse potest, nisi actus hujusmodi; quo voluntas jam, cum gravi deordinatione, fertur ad bonum delectabile. Actus autem hujusmodi, ut constat, facillimè potest manere et sæpissimè manet, *idem omninò in naturâ suâ*, quum nulla ampliùs de peccato objectivo cogitatio menti occurrit. Affectus igitur præsens ad peccatum mortale sæpissimè in voluntate durat, quum nulla ampliùs de peccato objectivo cogitatio menti occurrit. Affectus autem præsens ad peccatum mortale, ex consensu omnium, est mortale peccatum.

Hæc igitur, ut indubitatissimum existimo, S. Thomæ est sententia; scilicet *peccatum mortale formale* in nihilo consistere, nisi in actu præsenti voluntatis, quo vir, cum gravi illâ deordinatione de quâ tam multa diximus, feratur ad bonum commutabile. Hoc ex suprà dictis manifestissimum est; sed quæ hìc sequuntur rem omninò concludunt.

‘ Peccatum causat *reatum pœnæ æternæ*, in quantùm

irreparabiliter repugnat ordini divinæ justitiæ, per hoc scilicet, quòd *contrariatur* ipsi principio ordinis, quod est *ultimus finis*. Manifestum est autem quòd in *quibusdam peccatis* [sc. venialibus] est quidem *aliqua* inordinatio, non tamen per contrarietatem ad *ultimum finem*, sed solùm circa ea quæ sunt ad finem; in quantùm plus vel minùs debitè eis intenditur, *salvato tamen ordine ad ultimum finem:* puta cùm homo, etsi *nimis* ad rem aliquam temporalem afficiatur, non tamen *pro eâ vellet* Deum offendere, aliquid contra ejus præceptum [sc. grave] faciendo. Unde *hujusmodi* peccatis non debetur æterna pœna, sed temporalis.' (1, 2 Quæst. lxxxvii. art. 5, in corp.)

In hoc igitur, vides, mortale à veniali secernit;—non quòd in mortaliter peccando *cogitatio de peccato objectivo* occurrat, in venialiter autem peccando non item;—de hoc ne verbum quidem ingerit;—sed in hoc, quòd qui venialiter peccat, *minùs inordinatè* feratur ad 'rem aliquam temporalem,' quàm is feratur qui peccet mortaliter. Ex illis igitur actibus in quibus 'homo ad rem aliquam temporalem afficitur,' ii, Thomâ judice, *venialiter* sunt mali, in quibus vir *ità* afficitur ut '*non* pro eâ vellet Deum graviter offendere.' *Reliqui omnes sunt mortaliter mali.*

Et hoc omninò pro certo habeo; quò magìs attentè quis S. Thomæ quæstiones illas perlegerit quæ ad materiam de peccatis spectant, eò clariùs visurum fore hæc esse ipsa de peccato principia, quæ Doctor Sanctus *ubique* supponit. Ità etiam, ut dixi, perspicua evadet sententia illa *de ignorantiâ comitante*, quæ, si quævis *alia* de peccato sumantur principia, *ne intelligi quidem* poterit. Hanc autem constantem esse et indubitatam Sancti Doctoris sententiam, ex eo apparet, quod non modò, ut dixi, illam expressè affirmet; sed etiam quòd, dum expressè ignorantiam illam tractat quæ causat *involuntarium* et *excusat* à peccato, de ignorantiâ illâ solùm loquatur, ex quâ vir 'aliquid agit *quod non faceret si sciret*' (1, 2 Quæst. vi. art. 8, in corp.); de ignorantiâ circumstantiæ cujusdam, '*quam si sciret retraheretur à peccando*' (Quæst. lxxvi.

art. 3, in corp.); de actu denique, ignoranter patrato, ‘ qui, *si scientia adesset, esset contrarius voluntati.*’ (Ibidem.)

IX.

A Doctore Angelico ad ejus interpretes deveniendum est; et an aliqui eorum ità sententiam ejus intellexerint, considerandum. Et his quidem *Salmanticensium* verbis nihil apertius.

1. ‘ Peccatum veniale potest fieri mortale, *si in objecto illius constituatur ultimus finis.* Pro cujus majori intelligentiâ, sciendum est, quòd dupliciter potest aliquis constituere rationem ultimi finis in objecto peccati venialis. Primò directè et formaliter. . . . . Secundò virtualiter et interpretativè; hoc est, quòd *taliter illud objectum diligat, ut ob illud non recuset committere aliquod peccatum mortale.* Et hoc adhuc *dupliciter: vel* quia *de facto eligit* tale peccatum mortale ob prædictum finem, ut si quis ad ostendendam inaniter suam fortitudinem aliquem occideret; *vel* quia *licet de facto illud non eligat,* tamen est *ità affectus ad objectum peccati venialis,* ut, *datâ occasione,* illud *præeligeret ne illo privaretur:* ut quando avarus est *ità affectus ad pecunias,* ut *non dubitaret, oblatâ occasione, potiùs committere mortale quàm illis carere.*’ (De Principiis Moralitatis, cap. xi. punct. 2, § 12.)

Avarus hic, vides, non est ità affectus ad pecunias, ut *secum statuat* potiùs committere mortale quàm illis carere; sed *jam* ad illas est *ità affectus,* ut (actu illo voluntatis durante) si occasio offerretur, *non dubitaret* potiùs committere mortale quàm illis carere.

‘ Et hoc modo,’ subjiciunt Salmanticenses, ‘ peccatum veniale transire in mortale, docent *cum S. Thomâ* Caietanus, Sylvester, Montesinos, Salmanticenses (alibi), Curiel, Sanchez, Suarez (de Pœnitentiâ, disp. xxii. sec. 4, § 11), Navarrus, Sayr, Reginaldus, Bonacina.’

Ingenuè autem fateri debeo, Suarezium in loco citato nil tale dicere; nec quidem in alio aliquo quem viderim

loco. De Sanchezio postea dicetur. Aliorum autem horum loca citata non in manu habeo ut adeam. Quæ igitur sit *eorum* sententia, pro non satìs explorato habendum est; quæ verò Salmanticensium, à nemine dubitari potest.

2. *Gerdilium* ità S. Thomam intellexisse, et ipsum in eâdem esse sententiâ, apertè tibi constabit, si quid de avaritiæ peccato scribat perpendas (De Peccatis, pars 2, Quæst. 2, cap. 1).

'*Propositio.* Avaritia, sine ullâ etiam injustitiæ admixtione, multis ex capitibus *adversari potest caritati*, fieriqu e adeò *peccatum mortale.*

'*Probatio.* Affectus deliberatus, quo quis *ad bonum creatum convertitur sicut ad finem*, adversatur caritati *estque peccatum lethale.* Nam, ut ait S. Thom. (Q. 13, de Malo, art. 2), inde oritur *aversio ab Incommutabili Bono*, quod debet esse finis ultimus. Atqui quandoque amor et desiderium divitiarum tale est, ac tantum, ut ad eas tanquam ad finem homo convertatur. Ergo, &c.

'(1.) Id contingit, cùm diffidens quis divinæ providentiæ et benignitati, *vitæ præsidium in divitiis quærit*, in iisque *spem et felicitatem collocat.* Talis est de quo dicitur, 'Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate suâ.' Et Ps. 48: 'Qui confidunt in virtute suâ et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.'

'(2.) Quum quis ità cupidè suis inhæret divitiis, ut *eas propter Deum amittere non sit paratus.* Huic causæ tribuit S. Cyprianus multorum Christianorum defectionem. . . . .

'(3.) Cùm tantâ cupiditate fertur animus ad divitias, ut etiamsi abundè suppetant quæ requiruntur ad vitam pro statûs conditione honestè transigendam, nulla tamen fiat in exaggerandis copiis cessatio, nulla intermissio; quippe ista augendarum sine fine divitiarum cupiditas *animum prodit* divitias sine fine diligentem, *illisque adeò, tanquam fini, adhærescentem;* non eas tanquam media sumentem ad necessaria vitæ munia . . . . Valet in eandem sententiam Christi parabola, Luc. 12. 'Hominis cujusdam divitis

uberes fructus ager attulit, et cogitabat intra se dicens, &c. . . . . Dixit autem illi Deus, ‘Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parâsti cujus erunt?’ *Sic est* qui *thesaurizat sibi*, et non est in Deum dives.’ Benè autem advertit Augustinus (Serm. 178) divitem istum *nullo notari vitio injustitiæ*, sed *nimio tantùm affectu in divitias*. ‘Non de *cujusquam vicini agris*, non *limite perturbato*, non *spoliato paupere*, non *circumvento simplici*, sed *tantummodò* de *suis colligendis* cogitabat.’ In eo porrò quòd stultus à Deo appellatus fuerit, in eo judicium divinum demonstrat Augustinus: ‘Non sic dicit Deus ‘stulte’ quomodò homo dicit; tale in quenquam Dei verbum *judicium est*. Numquid enim Deus *stultis* daturus est regnum cœlorum? quibus autem non est daturus regnum cœlorum, quid *eis* restat nisi *pœna gehennarum?*’

‘Huc pertinet quod ait Christus, Matt. 6: ‘Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ . . . . ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.’ Quippe *thesaurus*, quid aliud est quàm *quo fruitur* animus *non utitur;* cui proinde *corde*, seu *toto affectu et amore*, inhærescit? Proinde illo eodem loco dicit, ‘*non potestis* Deo servire et mammonæ.’ Hinc Apostolus (ad Eph. 5) *avaritiam* vocat ‘*idolorum servitutem:*’ ‘hoc enim *colitur* quod diligitur,’ inquit Augustinus. . . . . Quibus omnibus non obscurè significatur, etiam sine ullâ injustitiâ, tantâ quandoque cupiditate divitiis inhærere animum, ut in iis *finem suum* constituere videatur, eaque proinde ‘cupiditas,’ ut ait Augustinus, ‘*venenum sit caritatis.*’’

Insignis sanè locus et attentissimè ponderandus! Infelicem hunc, quem propter avaritiam æterno igne cruciari censent Augustinus et Gerdilius, nullum tamen peccatum objectivè mortale, in divitiis suis comparandis, patrâsse aut meditatum esse, iidem Augustinus et Gerdilius apertè profitentur. ‘*Tantùm* ob nimium notatus est affectum erga divitias.’ In hoc quidem tota versatur Gerdilii expositio, ut *indicia* varia ante oculos ponat, quæ ‘*prodant*,’ ut ipse dicit, ‘animum divitiis tanquam fini ad-

hærescentem.' Nihil igitur in rerum naturâ manifestius est, quàm Gerdilium saltem existimare, 1°. affectum graviter inordinatum ad bonum commutabile mortale esse peccatum, quin de ullo peccato *objectivè mortali* mens cogitârit; et 2°. ità etiam S. Thomam sensisse.

Denique Gerdilius S. Thomæ sententiæ de ignorantiâ concomitante omninò acquiescit; quæ tamen sententia, ut ostendi, cum nullis aliis de peccato principiis consistere potest, nisi iis quæ propugnamus.

'Ignoratio alia est antecedens; . . . . . alia *concomitans*, quâ tametsi homo non laboraret, nihilominùs *ità est animo præparatus*, ut eum actum *sciens faceret* quem ignorans facit. (De Peccatis, pars 1, quæst. ii. cap. 1.)

'Ignorantia concomitans *nec auget nec minuit* peccatum.

'Probatur. Quia ignorantia concomitans, ut ex ejus definitione patet, *nullo modo est causa peccati*, nec ullo pacto in illud influit. Non valet igitur *aut augere aut minuere* peccati gravitatem.' (Ib. Prop. 3.)

Caius, qui jam per tres menses Dei præcepta nihili fecit, à Missâ in die Dominicâ abest; quam tamen *esse* diem Dominicam ignorat. Hæc autem ignorantia est *concomitans;* nam Caius 'ità est animo præparatus, ut eum actum' omissionis 'sciens faceret quem ignorans facit.' *Caium non minùs graviter in illo actu peccare* censet Gerdilius, quàm si *scienter* et *advertenter* abfuisset. Quam verò ob causam? quæ alia excogitari potest, nisi quòd Caius tunc tam deordinatè bono cuidam commutabili adhæreat, ut ex vi illius actûs Missâ scienter abesset, potiùs quàm bono illo careret? Talem igitur adhæsionem pro peccato mortali Gerdilius reputat.

3. Pariter loquitur *Richardus*, à *Lugone* cum laude citatus (De Incarnatione, disp. v. § 80); 'ubi ait nunquam peccari mortaliter, nisi quando *amor creaturæ præponitur divino amori:* quando enim *ità amatur*, ut *si homo sciret* se propter hoc à divino amore separandum, *recederet ab amore illius creaturæ,—non peccat mortaliter;* quia non constituit eam principaliorem finem quàm Deum, cùm *divino*

amori *ejus* amorem non præponit.' In Richardi igitur sententiâ, quam Lugo nullatenùs reprobat, *is* jam peccat mortaliter in præponendo creaturam Creatori, qui *alio quovis modo* jam ad creaturam aliquam fertur, nisi *ità* 'ut *si sciret* se propter hoc à divino amore separandum, *recederet* ab amore illius creaturæ.'

4. *Gurius*, de gulâ loquens, ait: 'est peccatum veniale in genere suo, fit autem *grave* si . . . . *venter pro Deo habeatur*, v. g. *in continuis epulis*,' &c. (Compendium, vol. 1. § 170). Et de vini potoribus: 'non peccant *graviter* . . . . nisi adeò temperantiam excedant ut . . . . *quasi finem suum ultimum* in his potationibus reponere *videantur*' (vol. 1. § 174). Gulosos autem hos et potores nihil de peccato objectivè mortali cogitare, manifestum est. 'Perfecta superbia,' porrò ait (§ 164), 'dicitur, quando homo adeò in se sistit et sibi complacet, ut *versetur in dispositione* legem potiùs graviter transgrediendi, quàm mandatis superioribus obtemperandi. Hæc autem eo ipso *peccatum mortale* semper in se includit.' 'Versari autem in dispositione' non idem significare videtur, quod 'secum expressè et reflexè statuere.'

5. Cuniliatius Dominicanus. Variis modis peccatum aliàs veniale fit mortale. Horum est 'tertius, si constituatur *ultimus finis* in re alioquin veniali: puta si quis ità *est* affectus levi gulositati, ut, *etiamsi graviter à Deo vetaretur*, *vellet* eâdem frui.'

Idem hìc dico quod de Salmanticensibus: 'Ità *est* affectus ut, *si vetaretur*, *vellet*;' minimè potest idem significare quod 'ità est affectus ut secum *statuat*;' seu 'ità est affectus ut *velit*.'

6. Roncaglia (De Peccatis, cap. i. quæst. 3): 'Peccatum veniale fieri potest mortale, ratione ultimi finis in eo positi; quando scilicet quis paratus *esset* (nota, non 'paratus *sit*') illud committere, si peccatum esset mortale.'

7. *Scavinium*, qui in verbis suprà citatis tam luculentè S. Thomæ sententiam retulit, illam quoque sententiam eodem modo quo nos intelligere, ex hoc credibile videtur.

De avaritiâ hæc ait (De Peccatis in Specie, disp. 2, cap. ii. art. 1):

'Avaritia est peccatum mortale, quando quis *vel* ad sibi comparandas, augendas, aut conservandas divitias adhibet media graviter illicita; *vel* proprium in iis constituit finem ultimum; *vel* animo paratus est etiam mortaliter peccare quàm aliquod in iisdem pati detrimentum; *vel* peccat reipsâ mortaliter, v. g. bonum alienum accipiendo aut detinendo,' &c.

Scavinius, in verbis illis 'paratus est,' aut illud significat quod S. Thomam in verbis illis significare censemus, aut *non* id significat. Si prius, hoc ipsum habemus quod intendimus. Si posterius (quod longè credibilius videtur), quid inde sequetur? In *quarto* loco eos collocat qui peccatum objectivè mortale *committunt;* in *tertio* loco eos qui secum *statuunt* id facere, si necesse sit ob divitias comparandas; in *secundo* verò loco, *ab illis distincto*, eos collocat, qui 'proprium in iis constituunt *finem ultimum*.' Qui finem ultimum igitur in divitiis constituit, eum, Scavinio judice, non necesse est de peccato aliquo objectivè mortali cogitare.

8. Sanchezius, quum de viro disserit, qui ex pravâ consuetudine pejerat et quidem sine deliberatione plenâ, 'Quidam,' ait, 'culpam mortalem in hoc inveniunt, eò quòd ratione illius pravæ consuetudinis *ità affectus sit*, ut *si adverteret illud juramentum esse falsum*, non desisteret ab illo. Atque ità videtur expressè tenere *Caietanus*, . . . et expressè tenent *Navarrus*, *Toledo*, *Sayr*. Sed hanc doctrinam,' ait Sanchezius, 'jure optimo reprobant alii. Quia cùm ea dispositio sit solùm *proclivitas* ad peccandum, nec sit *actus*, nequit esse *peccatum*. Et, ut rectè ait Augustinus, non imputat nobis Deus quod *faceremus si hoc vel illud occurreret*, sed quod *actu* facimus' (De Præceptis Decalogi, lib. 3, cap. v. § 23).

Ea autem sententia, quæ diceret *proclivitatem* ad peccatum pro peccato reputari, tam manifestè est erronea, et tam gravi notâ inurenda, ut non facilè crederem theologos

aliquos, sine Ecclesiæ censurâ, eam affirmâsse. Non possum non vehementer suspicari, hos auctores idem omninò quod S. Thomas sibi velle; nec de *habitu* malo, sed de quodam voluntatis *actu* loqui. De actu illo scilicet loqui eos existimo, quo hujus perjuri voluntas, cum plenissimâ libertate, tam inordinatè fertur ad commodum illud quod ex perjurio sibi evenire sperat, ut *ex vi illius actûs* pejeraret potiùs deliberatè, quàm commodum illud amitteret. Si hoc concedatur, hi auctores (Caietanus, Navarrus, Toledo, Sayr) pro meâ parte apertè stabunt; si *non* concedatur, sententiæ non *improbabilis* modò sed gravissimè *erroneæ* argui à Sanchezio debuissent.

9. Et sanè, 'Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.' Ipse hic Sanchezius, hæc ait de ignorantiâ vincibili (ib. lib. i. cap. 17, § 20).

'Quare testimoniis his ductus censeo id peculiare esse in jure humano, ut ignorantia quæ esset vincibilis ac mortaliter culpabilis respectu juris divini et naturalis, ac proinde non excusaret à mortali ejus transgressionem, non censeatur talis respectu juris humani, ac proinde excuset à mortali ejus violationem, duplice conditione concurrenti. Prior est, ut sit violans *in eâ animi præparatione, ut si nósset eam causam non esse justam, minimè eam violaret.* Posterior, &c.'

Quomodò autem, ô gravis theologe, *præparatio* seu *dispositio* animi, malitiam *actûs cujusdam* minuere potest? quum dispositio, et pariter (nonne ità est?) 'animi præparatio' nihil aliud est, juxta te, quàm *proclivitas* quædam et facilitas. Nisi quidem proclivitas illa *libertatem* actûs minueret; de quo tamen nullus omninò hìc est sermo. Benignam tamen illam interpretationem tibi libenter concedimus, quam tu adversariis negas; sed tamen, ut hoc faciamus, te utpote testem pro nostrâ sententiâ accersere oportet. Hic etenim juris humani transgressor, commodum aliquod aut delectationem tunc prosequitur, quum præcepto huic obtemperare debet. Si autem (hoc indicare videtur Sanchezius) si in hanc delectationem non

tam inordinatè fertur, ut *ex vi illius actûs* jus humanum scienter propter illam violaret, violatio illa non pro peccato mortali reputanda est. Peccatum, vides, ex 'præparatione animi' pendet; scilicet, ex actu magìs vel minùs inordinato, quo voluntas *jam* feratur ad bonum delectabile.

Et quidem, si Sanchezii verba intueamur à Salmanticensibus (ut vidimus) citata, quæ spectant ad *finem ultimum* ab aliquo constitutum in bono commutabili, quamvis non tam diserta sunt ut Sanchezium quasi testem omninò indubitatum proferre possimus, pro nostrâ tamen parte, longè potiùs quàm pro oppositâ, ea stare inveniemus.

'Tertius casus est, in quo veniale transit in mortale, quando in veniali ultimus finis constituitur. Ad hoc autem non satìs est, committentem veniale ferri *nimìs intensè* in objectum illius; sed tunc id evenit, quando *eo affectu* id committit, ut *non dubitet*, ad id committendum, transgredi præceptum sub mortali obligans. Hoc tamen sano modo intelligendum est; non enim veniale committenti imputatus id peccatum quod *committeret*, vel ad committendum est *habitu* paratus, nisi quatenùs modò *virtute* illud admittit, per *præsentem* amoris *appretiationem*.' (De Præceptis Decalogi, lib. i. cap. v. § 14.)

'*Virtute* autem mortale admittere per præsentem *amoris appretiationem*' non idem est, quod 'peccatum objectivè mortale explicitè sibi proponere;' immo potiùs idem est quod, 'in actu voluntatis præsenti creaturam magìs quàm Creatorem *appretiativè amare*.'

Paullò postea, sic pergit Sanchezius.

'Secundò deducitur, qualiter intelligatur *D. Augustinus*, qui ait *nullum esse veniale*, quod non *fiat mortale* dum *placet*. . . . . Hoc potest intelligi, quando in eo *ultimus finis constituitur* juxtà supra dicta.' (Ib. § 16.)

Hâc in materiâ tamen, eruditionis et scientiæ meæ tenuitatem, quam jam commemoravi, deflere liceat. Si rem dignè tractarem, varios auctores, à Sanchezio et Salmanticensibus citatos, in medium proferrem; quid in locis

illis citatis reverà sibi velint, indagarem; et de theologorum suffragiis, re perpensâ, judicium ferrem. Utinam opera illorum satìs, aut quidem aliquâ in parte, cognoscerem! Ipsa loca à Cuniliatio et Roncagliâ excerpta, amicissimi cujusdam diligentiæ debeo.

Quum tamen veritatem assequi cupio, non placita mea quocunque modo defendere, quosdam esse ingenuè profiteor, eosque gravissimos, auctores, quos nusquam ità S. Thomæ mentem explicare invenerim. Inter hos Suarezius, Viva, S. Alphonsus, Billuartius, proculdubiò adnumerandi sunt; et quamvis Vasquezius nihil (quatenùs sciam) expressè pronuntiet, disputatio tamen ejus de ignorantiâ comitante idem sonare videtur. De Lugone non tam certum proferre possum judicium. Qui enim illa ejus quæ in cap. iv. citavi verba, de *peccati actualis cessatione*, attentè perlegerit, non facilè id credet; non facilè inquam credet, Lugonem existimâsse peccatum actuale mortale *tum* cessare, quum, voluntatis inordinatione *eâdem omninò* permanente, et *libertate plenâ non minùs præsente*, mens de peccato objectivè mortali expressè cogitare fortè desinat.

Et de aliis quidem quos commemoravi præclarissimis theologis, hoc notare quàm maximè oportet. Nusquam hanc, quam ex S. Thomâ protuli sententiam, expressè considerant et consideratam rejiciunt. Contra,—auctores qui eam proferunt, locutos esse de *proclivitate* ad malum, *facilitate*, *habitu malo*, hi semper cum Sanchezio existimant. Dogma igitur quod rejiciunt, non modò non tueor, sed manifestissimum esse errorem censeo. Sententiam quam propugno, non adstruunt quidem (confiteor), sed nec improbant; *de illâ non cogitant.*

Et quæ dicta sunt abundè demonstrant, hanc, quam veram esse S. Thomæ sententiam pro certissimo habeo, non nunc primùm ex ejus verbis erui, sed à satìs longâ theologorum serie receptam esse. Ut verbo dicam,—multi sunt qui Thesim hanc, ità ut exposui intellectam, amplec-

tuntur; multi qui de eâ non cogitâsse videntur; nemo omnium (quatenùs sciam) qui ei sese opponat.

x.

Deinde, quæ *argumenta* pro hâc sententiâ adduci possint, consideremus. Tam multa autem jam protuli, vel in cap. ii., vel inter S. Thomæ doctrinam tractandam in cap. viii., ut unum solummodò et aliud hìc maneant adducenda.

1. Peccatum nihil est nisi conversio à Deo Vero Ultimo Fine et Bono Incommutabili, ad commutabile bonum; à Creatore ad creaturas. Ex duobus igitur peccatis, quæ cum pari libertate patrantur, illud gravius est, in quo voluntas pleniùs et effrænatiùs creaturis adhæret. Quàm plenè autem et quàm effrænatè voluntas in aliquo instanti creaturæ illi adhæreat quam tunc prosequatur, tum accuratè dijudicare possemus, quum sciremus, quanta peccata objectiva, ex vi illius actûs prosecutionis, vir 'dispositus sit' 'paratus sit' patrare, potiùs quàm creaturâ illâ carere. Ex peccatis autem illis objectivis, quid demùm vir patrare decernat, aut *an aliquid omninò eorum in ejus mentem veniat*,—hoc non ex plenitudine, ex effrænatione, quâ voluntas in illo actu creaturis adhæreat, vel minimâ in parte pendet; sed (ut toties dixi) ex mero casu, ex merâ fortunâ.

2. Habitus acquisitos illis solummodò actibus *augeri* qui *habitu ipso sint intensiores*, apud omnes theologos constat: à fortiori igitur, habitum aliquem, qui ad *mortale* proximè et directè disponit, nullus actus *venialiter* malus potest augere.

Finge autem hominem, qui habitu injustitiæ pessimo tenetur; qui in proclivitate quâdam versatur, ob divitias exaggerandas, injustissima quæque agendi; limites (ut ait Augustinus) perturbandi, pauperes spoliandi, simplices circumveniendi, omnia denique patrandi.

Deinde perpende illos voluntatis ejus actus, quibus in divitias comparandas magìs magìsque effrænatè inhiet, quin tamen de peccato aliquo objectivè mortali consideret. Quis inficias ibit, his actibus magìs magìsque *corroborari habitum?* Talem autem habitum per *venialia* non *posse* augeri, jam concessum est; *hi actus igitur sunt mortaliter mali.*

3. *Actus ille amoris creaturæ, qui cum actu amoris Dei super omnia constare nequit, est mortale peccatum:* aliquod enim esse peccatum *veniale,* quod actum amoris Dei per se et necessariò expellat, nemo affirmabit.

Hunc verò habitualiter injustum, de quo jam sermo fuit, rursùs intuere. In hoc momento, de peccato aliquo injustitiæ expressè cogitare desiit; actus autem ille *amoris divitiarum,* qui nuper eum ad peccatum illud sibi proponendum adduxit,—actus ille inquam idem omninò manet. Dicesne hunc actum effrænatum amoris divitiarum *eundem omninò manere posse,* si (Deo inspirante) actus *amoris Dei super omnia* ab eo liberè eliciatur? Si autem actus ille amoris divitiarum cum actu amoris Dei constare nequit, sequitur *eum esse mortaliter malum.*

4. Ut quæ jam sæpe dixi iterùm breviter dicam, hoc perpende. Quum nemo ad peccatum propter ejus turpitudinem trahitur, sed solùm propter voluptatem aliquam inde hauriendam,—actus ille voluntatis, qui est mortaliter malus, nihil esse potest, nisi actus qui ità effrænatè ad voluptatem quandam fertur, ut malit vir Deum graviter offendere quàm voluptate illâ carere. Seu (ut idem aliter dicam) actus mortaliter malus nihil est nisi actus, quo voluntas *cum gravi deordinatione* ad delectationem quandam fertur.

Hæc igitur *deordinatio,* quæ actum mortaliter malum constituit, est modus quidam determinatus, quo voluntas in illo actu tendit ad determinatam quandam delectationem. Si modus ille tendendi *mutetur,* actus evadet magìs vel minùs inordinatus. Si ad delectationem *aliam* mens convertatur, quàm gravis futura sit deordinatio quâ *novus*

hic finis quæratur, conjicere non possumus. Si autem ad *eandem* delectationem *eodem* modo tenditur, quomodò ex *hoc* solùm actus evadet minùs inordinatus, quia casu accidit ut de nullo peccato objectivè mortali expressè cogitetur?

Quum autem punctum hoc tam magni est pro re nostrâ momenti, id alio etiam modo libet exponere. Actus *imperans* ne minimâ quidem in parte pendet ex actu *imperato:* prorsùs contrà. Actus imperans igitur sæpissimè *idem* omninò *manet*, postquàm actus imperatus *desiit*. In quovis autem peccato formaliter simul et objectivè mortali, *actus imperans* est actus graviter deordinatus, quo voluntas ad bonum fertur commutabile; *actus* verò *imperatus* est transgressio, vel propositum transgressionis, præcepti cujusdam objectivi graviter obligantis. Et *actus imperans*, ut diximus, sæpissimè idem omninò manet, postquàm *actus imperatus* desiit. Actus igitur amoris creaturæ graviter deordinatus sæpissimè manet, dum de nullo præcepto objectivo, graviter obligante, ampliùs cogitatur. Actum autem amoris creaturæ graviter deordinatum, quis negabit esse mortaliter malum? Actus igitur voluntatis mortaliter malus sæpissimè elicitur, quum de peccato aliquo objectivo non ampliùs cogitatur.

Quid ad hoc reponi potest? Nihil omninò, quatenùs possim conjicere, nisi hoc supponatur: scilicet, actum aliquem voluntatis non (ut ità dicam) pro eo *quod est* valere et coram Deo reputari, ubi mens super illum non *reflectatur;* seu (ut rem eandem aliter dicam) actum voluntatis *exercitè* elicitum non plenè mereri aut demereri, nisi et *reflexè* eliciatur. Quis autem omnium hoc dicere audebit? Quum vir sanctus actum intensissimum elicit amoris Dei super omnia, quis actum illum affirmabit non pro actu amoris Dei reputari, nisi ille sanctus actum eum *esse* amoris Dei expressè videat? Ex omnibus actibus intensissimis quos elicuit Beata, quot ab Illâ plenè et expressè ponderati sunt? quot] numerare potuisset, si interrogata esset?

Enimverò hoc commune est et sanctissimorum et perditissimorum hominum, quòd super actus suos, bonos vel malos respectivè, tam rarò mentem reflectant. Qui in bonitate aut malitiâ adhuc tiro est, quæ agit bona aut mala agnoscit et numerat; qui autem diu illi vitæ generi assuefactus est, illum ex ipsâ consuetudine hæc non ità percellunt ut mens illius in iis perpendendis immoretur. Si autem *bonos* ex hâc causâ non minùs *mereri* concedas, quare malos ex *eâdem* causâ minùs *demereri* censendum est?

XI.

Jam verò difficultates omnes, in principio expositas, iterùm recensere, ut ostendam quid valeat dogma hoc quod stabilivimus in iis solvendis et enucleandis,—hoc in nimiam prolixitatem nos duceret. Hanc et illam excerpam, et quid de illâ statuendum sit perpendam.

1. Hunc autem virum primò intueamur, qui manè in die Dominicâ propositum explicitè edidit Sacrum omittendi, ut geometriæ studio, ob solam voluptatem inde hauriendam, usque ad horam meridianam inhærescat. Si in Dei præceptis violandis adhuc tiro esset, propositi hujus mali vix per unum momentum oblivisci posset; ex eo ipso autem quòd Dei præcepta jam diu nihili omninò fecerit, nullus conscientiæ remorsus inter intellectûs delectationem eum exagitat, et voluptate, quam ex studio illo quæsierat, securè fruitur. Hunc igitur, ex eo ipso quòd voluntas longè magìs quàm antea in malo *obfirmetur*, longè *pauciùs* quàm antea mortaliter peccare dicemus? Absit! Per totum enim illud tempus tam effrænato affectu voluntas in delectationem illam fertur, ut ob eam 'dispositus sit,' 'paratus sit,' 'non vereatur,' præceptum Dei transgredi. *Per totum igitur illud tempus mortaliter peccatur.*

2. Deinde ad illum oculos conjiciamus, qui secundùm Gerdilium mortaliter peccat peccato avaritiæ. Is, inquit Cardinalis Illustrissimus, mortaliter peccat, qui 'diffidens

divinæ providentiæ et benignitati, vitæ præsidium in divitiis quærit, in iisque spem et felicitatem collocat.' Is etiam mortaliter peccat, qui 'ità cupidè suis inhæret divitiis, ut eas propter Deum amittere non sit paratus.' Is denique, 'cujus animus tantâ cupiditate fertur in divitias, ut nulla fiat in exaggerandis copiis cessatio, etiamsi abundè suppetant quæ requirantur ad vitam pro statûs conditione honestè transigendam.' Quæstio autem hìc oritur gravissima, qualem tamen apud auctores tractatam nusquam invenire potui. *Quoties* per diem, per mensem, per annum, committit hoc mortale peccatum? *Semper* enim vitæ præsidium in divitiis collocat; *semper* ità cupidè inhæret divitiis: an *semper* mortaliter peccat?

Ut hâc in re quid verum mihi videatur dicam, fingam avarum eum semel atque iterùm propositum hoc explicitè elicuisse, et memoriam illius propositi adhuc vigere, 'mortaliter peccarem, potiùs quàm divitias magnâ in parte amitterem.' Fingam etiam eum nullum aliud bonum commutabile tam perditè amare. Et his suppositis, rem ità explicandam esse existimo. Persæpe in die divitiarum copiam quam cumulavit, gaudio perfusus, secum meditatur; persæpe novas acquirere sibi proponit; persæpe in negotiis variis se implicat, hunc omninò ob finem, ut divitias strenuo conatu augeat et amplificet. Sæpe etiam in die bonum aliud delectabile, ob solam voluptatem, prosequitur; aliorum laudem, amicorum jucunda colloquia, ipsam corporis in edendo et bibendo recreationem. Aliquandò verò bonum *honestum* sibi ut finem proponit: debita ob justitiam solvit; egentem aliquem ob misericordiam sublevat; patrem suum ob pietatem obsequio colit. In actibus igitur illis in quibus bonum honestum prosequitur, non modò non peccat, benè agit. In actibus illis qui in alias delectationes ut in finem feruntur, venialiter peccat. In actibus autem illis qui ità ut dixi circa divitias versantur, ut plurimùm peccat mortaliter. In illo etenim præcisè momento, voluntas mutationem illam maximam, à veniali scilicet in mortale, subit, in quo ab aliis delecta-

tionibus, quas non nisi modicè amat, sese ad unam illam convertit, ‘ cui *toto affectu et amore*,’ ut ait Gerdilius, ‘ inhærescit.

3. Aliqui tamen sunt ità in malo obfirmati, ut Dei præcepta nihili omninò faciant; hocque propositum toties explicitè eliciant, quoties aliquid de illis audiant, ‘ Quid ad me Dei præceptum ? mallem Deum mortaliter offendere, quàm vel minimâ carere quam cupio delectatione.’ Quid de his dicendum ? Responsio ex his quæ dicta sunt satìs est manifesta. Obdurati hi et in infimo nequitiæ gradu constituti, per singula ferè momenta, in quibus sui sunt compotes, mortaliter peccant. Dico ‘ singula *ferè*,’ non ‘ singula *omninò*;’ quia aliquando etiam *his* viris accidere potest, ut toti sint in bono aliquo honesto prosequendo: et tum benè agunt. Quoniam autem omnes homines, in singulis momentis, ex ipsâ naturæ necessitate, bonum *aut* honestum *aut* delectabile sectantur, quumque hi non nisi rarò in honestum feruntur, per singula ferè momenta in bonum delectabile eorum affectus trahitur. Quoniam autem vel minimam quamque delectationem tam inordinato actu voluntatis quærunt, ut ex vi illius actûs malint mortaliter peccare quàm illâ carere, actus ille voluntatis est mortaliter malus.

Non desunt qui affirment, mentem humanam in tam miseros nequitiæ abyssos nunquam descendere. De hâc re parùm sum solicitus ; hoc solùm ago, ut statuam quid dicendum esset, *si revera res ità* ut finxi *se haberet*. Rem autem reverà interdùm ità esse—aliquos ità obduratos reperiri—utinam dubitare possem ! Multi sunt, quis negabit ? qui quum v. g. Missæ obligationem urgere jam intelligunt, eam tamen adire recusant, non ut delectatione aliquâ satìs intensâ fruantur, sed ob nugas inanissimas. *Tunc* proculdubiò in nugis illis inanissimis finem ultimum ponunt ; quare igitur tibi in mentem venit ut affirmes, eos per *alia* momenta nunquam in his nugis finem ultimum ponere ? In nugis illis finem ultimum ponunt, non quia nugas illas

magni æstimant—ô utinam!—sed quia *Dei præcepta* omninò *nihili* faciunt.

Aliâ autem viâ ad conclusionem, huic non absimilem, adduci videmur. Gurius quærit (vol. ii. § 320) ‘ an præceptum contritionis obliget statim post patratum mortale peccatum;’ et probabiliorem censet responsionem negativam. ‘ *Secùs*,’ ait, ‘ *multiplicarentur peccata pro numero instantium dilationis*.’

Hanc Gurii sententiam, tanquam jam apud omnes certissimam, suppono. Dogma autem hoc expressè Gurius affirmat, et ut argumentum pro ipsius parte tuendâ usurpat,—scilicet, quisquis ad officium aliquod sub mortali teneatur, quod officium semper in manu habeat ut adimpleat et tamen adimplere differat,—eum *pro singulis dilationis instantibus peccare mortaliter*. Jam verò, ad *semel saltem in anno* actum *amoris Dei* eliciendum quemvis sub mortali teneri, neque ullam dari obligationis hujus ignorantiam invincibilem,—nullus ferè theologus est qui in dubium revocet. Obduratos igitur illos, qui per temporis moram anno longè ampliorem in Deum converti distulerunt, jam *per singula dilationis instantia* (dum sui compotes sunt) mortaliter peccare, ex hoc Gurii dogmate sequi videtur.

Et sanè, si ignorantia illa pravæ dispositionis, teste Vasquezio (videatur cap. 4), *semper* pro mortali imputatur si vir in eâ permaneat,—obduratum hunc, et contra Dei præcepta indesinenter obluctantem, non *minùs* graviter et constanter delinquere credibile est.*

* Hæc *Sporerii* verba quid sibi velint, non omninò intelligo; digna tamen videntur quæ in medium proferantur. (De Actibus Humanis, § 37.)

‘ Ignorantia affectata’ est ‘ directè voluntaria et malitiosa cùm procedat *ex magnâ voluntatis propensione ad malum*. . . . . Talis inquam ignorantia censetur non minuere, sed potiùs augere, voluntarium et *peccatum*. Cùm talis censeatur *adeò adhærere peccato* ut etiam horreat scientiam avocantem à peccato; uti *docent Doctores communiter* cum S. Thomâ,’ &c. ‘ Contrarium tamen docent’ aliqui. . . . . ‘ Videntur tamen hæ sententiæ facilè conciliari posse . . . . dicendo: ignorantiam affectatam minuere quidem voluntarium ac perfectum liberum respectu illius actûs ignorati, ... *augere* tamen et quidem *malitiosè*, ex proposito, voluntarium ut spontaneum in ordine ad

XII.

Hìc autem objectionibus quibusdam, quæ interponi possint, occurrere libet.

1. Dici enim posset, Inferni cruciatum (ut ità dicam) miro modo augeri, si obduratos per tot instantia mortaliter peccare existimes.

Hæc autem difficultas nihili omninò valet. Quis enim, quantus cruciatus cuique peccati instanti debeatur, vel tenuissimâ conjecturâ assequi potest? Si peccata longè diutiùs quàm tu existimabas protrahantur, quid vetat eò præcisè *levius* esse supplicium, quod pro singulis peccati *momentis* destinatur?

Et sanè, si quàm horrendum sit vel minimum æterni cruciatûs incrementum satìs perpendas, id ad S. Thomæ sententiam potiùs te trahet. Si illa enim sententia concedatur, supplicii gravitas non ex mero casu, ex merâ fortunâ, magnâ in parte pendebit,—ità tamen ut qui in peccato *minùs* obduretur, is *gravius* supplicium mereatur;—non, inquam, *ità* se res habebit. Quas quisque luiturus sit pœnas, ex eo pendebit quod in cujusque omninò est potestate, quum Dei gratia omnibus adest; ex eo scilicet, quàm *diu*, et quàm *penitùs*, voluntas ejus ab Incommutabili Bono fuerit aversa; quàm diu, et quàm penitùs, Creatorem pro creaturis deseruerit.

2. Deinde, 'rigorismi' cujusdam aliquis forsan hæc placita insimulabit. Sed quàm immeritò! Nemo forsan in orbe terrarum rigorismo infensior est, quàm me esse profitear. Sed in quo consistit præcipua rigorismi labes? Proculdubiò in illos sævire, qui ex certâ malitiâ Deo morem gerere totis viribus recusant, qui præcepta ejus oderunt simul atque contemnunt,—in hos sævire, non rigorismi est sed sanæ theologiæ. In illos autem sævit *rigorismus*, qui ex bono corde in Dei amicitiâ manere cupiunt, quorum

liberiùs peccandum, *non solo illo actu, sed quovis alio occurrente* durante illâ ignorantiâ. Ideòque meritò hæc affectata ignorantia nihil patrocinatur delinquenti. . . . .'

'manus' tamen sunt 'remissæ, et genua soluta;' qui non adhuc erectè ambulant, sed 'claudicant;' qui, ob pravos habitus in quibus diu olim illaqueati sunt, lenitate maximâ et quasi manuductione indigent; quorum ad salutem quàm maximè pertinet, ut oblectamenta varia suppetant, quæ animum sublevent et recreent, donec paullatim veterem hominem magìs magìsque exuant, donec paullatim 'manus remissas et soluta genua erigant,' donec paullatim eorum 'bases et plantæ consolidentur.' In hos sævit rigorismus; in horum 'cervices jugum imponit quod portare non possunt;' harum animarum ruinæ non rarò est causa.

Quid autem commune, inter exosum illum rigorismum, et hanc quam nos tuemur S. Thomæ sententiam? Sententiæ quidem *contrariæ* longè affinior est rigorismus; de illâ enim, etiam magìs quàm de rigorismo, dici posset,

'Ignoscit corvis, vexat censura columbas.'

In illos etenim sævit, qui magnam aliquam de Deo diligendo *velleitatem* saltem retinent, et ab Illo oculos omninò avertere non possunt; illis autem omninò parcit, qui Creatoris infinitè Misericordis prorsùs obliviscuntur. Obduratos hos, 'quasi modò genitos infantes,' vix posse peccare, mira illa sententia pronuntiat.

XIII.

Rem valdè, ut dixi, inter theologos disceptatam, nunc considerare oportet: scilicet, an necessariò requiratur ad mortale peccatum, quòd explicitè *præcesserit* aliquando consideratio, seu saltem suspicio, actûs malitiæ. Hoc enim necessariò requiri, à magnâ et gravi theologorum scholâ affirmatur.

Ità Sporerius. 'Nomine ignorantiæ, etiam *inadvertentia*, inconsideratio, oblivio, comprehenduntur.' 'Ignorantia invincibilis est . . . . quæ morali studio vinci . . . non potuit: utpote quia vel *nunquam venit in mentem* cogi-

tare vel dubitare de tali re; vel etiam &c.' 'Ignorantia *vincibilis* tria requirit: 1. . . . . 2. ut *venerit in mentem* cogitare vel dubitare de tali re,' &c. (De Actibus Humanis, §§ 31, 33.)

Vasquezius, jam citatus: 'Nullum (est) peccatum mortale in voluntatis consensu, nisi cogitatio aliqua *præcesserit* . . . . vel saltem expressa aliqua dubitatio seu scrupulus.' (1, 2, Disp. xcvii. § 3.)

Salmanticenses. 'Quæres primò, an ut aliqua ignorantia sit invincibilis, sufficiat quòd nulla notitia, ... aut scrupulus *præcesserit*.' 'Vera est sententia docens dari ignorantiam invincibilem, quando . . . non advertis; . . . quia scilicet nulla de hoc dubitatio, implicita aut explicita, *præcessit*.' 'Supposito ergo quòd *præcesserit* aliqua advertentia . . . . vel scrupulus, quæres quæ diligentia sufficiat ad hoc, ut ignorantia sit *invincibilis*, &c.' (De Principiis Moralitatis, cap. xiv. §§ 8, 9, 13.)

Sanchezius. 'Nullum esse peccatum mortale in voluntatis consensu censeo, nisi cogitatio aliqua *præcesserit* . . vel saltem expressa aliqua dubitatio seu scrupulus. . . . . Si nil horum *præcesserit*, ignorantia, *inadvertentia*, seu oblivio, censentur omninò naturalia et invincibilia.' 'Peccata mortalia cùm tanti momenti sint, non est credibile ea ab illo committi, qui nec de malitiâ scrupulum aut dubium *concepit*, sed circa eam se habuit quasi naturaliter operans.' Et rationem dat sententiæ: 'Quamdiu non occurrit intellectui cogitatio aliqua circa objecti malitiam, ... aut scrupulus, ... non est *principium sufficiens deliberandi* de malitiâ ipsâ mortali.' (De Præceptis Decalogi, lib. i. cap. 16, § 21.)

'Ea ignorantia et inadvertentia potuêre humanâ diligentiâ vinci, quia *præfuit* aliqua cognitio ad investigandum incitans.' (ib. § 20.)

Hanc autem sententiam ut plenè intelligamus, quiddam adjicere oportet. Juxta hos auctores, requiritur ad peccatum mortale, non solùm quòd adfuerit suspicio saltem quædam de actûs malitiâ, sed etiam quòd hæc suspicio (si

ità loqui liceat) *familiariter in memoriâ vigeat.* Quod ità intelligo, ut si peccator jam interrogaretur an illi adfuerit hæc suspicio, statim et sine ullâ hæsitatione responsurus sit, si verum loqui velit, se ejus memoriam omninò retinere. *Nisi* enim adsit hæc 'familiaris' memoria, Sanchezii argumentum non procedet; quum nullum ampliùs adsit principium, juxta *ejus* sententiam, ulteriùs investigandi. Et huc spectat, ut existimo, Gurii effatum: 'ignorantia, culpabilis in principio, ... *invincibilis* evadet, si *nulla ampliùs cogitatio occurrat* de negligentiâ præteritâ vel de actuali ignorantiâ: quia tunc deficit potestas *proxima et expedita* ad ignorantiam depellendam.' (vol. i. § 149.) Ubi, ut pro certo habeo, dicere minimè vult Gurius, eo momento peccatum desinere, in quo suspicionis præteritæ memoria mentem quasi *actu pulsare* desinat. Verba enim ejus nihil tale secum ferunt, si simpliciter et sine fuco intelligantur: et porrò, si hoc diceret, non sibi constaret; quippe qui apertè dixerit, *dari* inadvertentiam, quæ ex negligentiâ procedat, et quæ à peccato non excuset. Verba ejusmodi in cap. iv. jam citavimus; et hæc etiam accedere possunt. 'Omissio actuum *de quibus nullatenùs cogitat* homo, non potest esse, ne indirectè quidem, voluntaria . . . . attamen *talis omissio* potest esse indirectè voluntaria et *imputabilis, si oblivio ex præcedenti negligentiâ virtualiter proveniat*' (vol. i. § 8). Si autem ità 'nulla ampliùs cogitatio occurrat,' ut tota res paullatim memoriâ excidat, tum proculdubiò, secundùm hos auctores, ignorantia seu inadvertentia invincibilis evadet.

Et quidem, in omnibus quæ hactenùs dixi, nihil contra hanc sententiam locutus sum. Geometriæ ille amator, quem Missâ ex proposito abesse finxi, manè propositum illud explicitè elicuit, neque ejus memoria à mente excidit. Avarus, qui divitiis tam perditè inhærescit, explicitè sibi sæpe per diem proposuit, 'mortaliter peccarem potiùs quàm divitias amitterem.' Obduratus ille, toties quoties aliquid de Dei præceptis audit, secum statuit, 'propter

Dei præcepta, ne minimâ quidem quam cupio delectatione me abstinebo.'

Et tamen pro contrariâ parte stant theologi, non minùs graves, non pauciores. De omnibus quos in cap. v. commemoravi, hoc satìs ex illorum verbis citatis patebit; ni forsan S. Alphonsum excipias, et Billuartium. De his autem reverà non minùs certè idem apparet. Illos enim quos, Alphonso approbante, commemorat Tournelyii Continuator, ' terrenis rebus deditos, qui ne cogitent quidem se non cogitare,'—illosne credibile est explicitum concepisse *scrupulum*, priùs quàm ' illos actus elicerent aut omitterent' qui tamen 'à peccato non excusantur ?' aut hæreticos ' innumera crimina perpetrantes ?' aut ' Paganos occidentes Martyres ?'

Billuartii autem ipsa verba satìs per se loquentur. ' Ut inadvertentia ad malitiam actûs censeatur *vincibilis et non excusans* à peccato formali, *non semper* requiritur actualis sive scrupulus, sive dubitatio aut suspicio, de malitiâ actûs.

' Patet 1°. in his qui peccant ex ignorantiâ vincibili. Hi enim *pro certo* nullum actualem scrupulum, dubium, aut suspicionem, habent de malitiâ sui actûs; et tamen eorum inadvertentia est vincibilis, sicut ipsa ignorantia de quâ procedit.

' Patet 2°. in his qui, quamvis fortè habitualiter sciant, aliunde tamen voluntariè ponunt causam suæ inadvertentiæ, nimirùm per pravos habitus quos fovent, per passiones quibus se totos dedunt, per supinam salutis incuriam, et similes modos, quibus fit ut peccata *quasi innata* habeant, et circa eorum malitiam *cæcutiant* ad eamque *nullatenùs attendant*.' (De Peccatis, diss. vi. art. 6.)

Quis dixerit hos, qui ad actuum suorum malitiam *cæcutiant* ad eamque *nullatenùs attendant*, ante quodvis quod illis imputatur peccatum, expressam concipere, secundùm Billuartium, suspicionem de actûs malitiâ ?

Me quidem, ut huic parti omninò assentiam, imprimis movent gravissimæ illæ de *hæresi* quæstiones, et de rerum fidei ipsorumque moralitatis principiorum *ignorantiâ*, quæ

hodiè huc et illuc agitantur; quæque ad nos, qui in infidelium et hæreticorum regione versamur, apprimè pertinent. Quot enim, in miserrimâ hâc nostrâ patriâ, fanatico spiritu ducuntur, et innumera facinora exultanti audaciâ perpetrant! An illos lethalis culpæ esse immunes censebis, si de facinorum illorum malitiâ nulla mentem clarè pulsaverit suspicio? Quot verò, immò quot millia, (ut tu benè nôsti) tam infelicem consecuti sunt sortem, ut (quatenùs *ii* dignoscere possint qui eos attentissimè inspexerunt) ab ipso rationis exordio ne minima quidem *explicita* cogitatio illis in mentem venerit, actus suos cum regulâ morum commensurandi! Hæc millia hominum, si in obduratione (eheu!) vivant et moriantur, gehennam non mereri affirmabis? Nonne omnes Catholici dicent, quum sensus ille boni et honesti (ut tam sæpe dixi) mentibus omnium tam ineradicabiliter insitus sit, eos ob hoc ipsum pœnas esse luituros, quòd ad regulum morum *non* attenderint?

Optimam (ut mihi videtur) et sapientissimam sententiam, inter alia tractanda, profert Suarezius (De Amissione Statûs Innocentiæ, cap. ii. § 17) quum hæc ait: 'Hæresis dupliciter in aliquo invenitur; scilicet vel tanquam in auctore, vel tanquam in discipulo seu persuaso ab alio. Et priori modo *non oritur*, nisi *vel ex superbiâ vel ex nimio affectu ad res terrenas et sensibiles*, ut ait Augustinus. Ille verò qui ab alio trahitur in hæresim, vel in superbiâ et affectu temporalium illum imitatur, vel ignoranter et ex quâdam simplicitate decipitur.'

Jam verò, neque superbia neque nimius affectus erga res terrenas tales sunt voluntatis habitus, ut qui actus ejusmodi vel intensissimos eliciunt, plerumque *sciant* se superbos esse aut in terrena fœdè propensos. Finge igitur virum, materialiter saltem infidelitatis peccato peccantem, qui ex hoc ipso ne suspicetur quidem religionem Catholicam esse credibilem, quia superbiæ aut terrenis affectibus prorsùs deditus sit. Finge hunc etiam ità inter Acatholicos educatum, ut examini conscientiæ curam aliquam

impendere nunquam didicerit; ut parùm omninò aut nihil de peccato sit solicitus; ut (quamvis vel maximè sit superbus, vel maximè terrenis deditus), in moribus tamen, non minùs quàm in fide, se tutissimâ incedere viâ nunquam dubitet. Ex hâc, inquam, præcisè causâ illud non dubitabit, quia tam inordinatè excellentiam suam admiratur,—quia tam totus est in rebus terrenis,—quia tam nihil de rebus Dei curat aut cogitat. An quivis reperiendus est theologus, qui hunc à mortali excuset? an quivis, qui ignorantiam hanc *invincibilem* appellet? Et tamen nulla omninò præcessit mali sui statûs explicita consideratio.

Hoc ut meliùs intelligamus, Gerdilium iterùm adeamus. 'Obj. 5. Animadversionem malitiæ illi prorsùs esse impossibilem, cujus mentem *nulla unquam subiit suspicio* vel cogitatio hujus malitiæ; nam non potest intellectus aliquid actu considerare, nisi ad eam considerationem applicetur à voluntate; nec *voluntas jubere potest considerationem*, nisi aliqua jam rei considerandæ *cognitio præluxerit*.

'Resp. Hoc argumentum *fallaciæ plenum* opportunis distinctionibus facilè dissolvitur. 1. Si animadversio sit absolutè impossibilis, nullum est peccatum; ut in eo, qui, distractione prorsùs involuntariâ impeditus, non attendit ad ea quæ facere debet.

'2. Ut animadversio et consideratio sit possibilis, non requiritur quòd rei considerandæ explicita cognitio præluxerit, *sed solùm implicita;* ad eum modum quo *conclusiones continentur in principiis* . . . .

'3. Ut ergo incogitantia de Deo *et actionis malitiâ*, in eo qui sive Deum sive malitiam actionis ignorat, sit . . . . voluntaria et *culpabilis*, satìs est ipsum *potuisse ac debuisse*, ex universitatis aspectu, moveri ad investigandum ejus Conditorem, et *ex sensu omnibus ingenito æqui ac boni, atque ex ipsâ humanorum actuum comparatione, malitiam alicujus actûs, velut furti, deprehendere*. Quocircà, tametsi nulla unquam præcesserit *cognitio explicita malitiæ furti*, vel offensæ Dei quæ furtum comitatur, non tamen defuit quod

requirebatur, ut animus *advertere posset, si voluisset*, in furto *malitiam peccati* et offensam Dei; quia *præcesserunt principia generalia*, quibus moveri potest et deduci ad notitiam, ideòque ad animadversionem, malitiæ et Dei offensæ in furto.' (De Peccatis, quæst. iv. cap. 2.)

His igitur excæcatis *proximum principium* adest, gravissimè saltem *suspicandi* se in mortali versari. 'Ex sensu enim omnibus ingenito æqui et boni,' satìs intelligunt regulam esse quandam, quæ in actus omnes humanos summam auctoritatem jure sibi vindicet; et simul omninò sibi conscii sunt, se ad regulam illam considerandam, et actus per illam dirigendos, vix semel, aut ne vix quidem semel, animum applicuisse.

Et si hoc de Acatholicis dicere non durum est, multò etiam minùs durum est idem de Catholicis illis affirmare, qui, quamvis fidem non prorsùs amiserint, inter infidelium tamen gregem sese pœnè adnumerare videantur; tam nihil *cogitant* de rebus fidei, tam penitùs rebus, non creditis, sed sensibilibus, se dedunt. Catholicum, qui vel semel propositum explicitum elicuerit Deum non graviter offendendi, neque illud retractaverit,—eum non posse mortaliter peccare sine plenissimâ ad actûs malitiam advertentiâ, jam dixi: tam ingentem enim voluntatis mutationem *imperceptibiliter* fieri non posse, experientia docet. Si tale autem propositum non elicuit,—si quum benè sciat se à Deo creatum esse, à Deo redemptum, nil omninò de rebus Dei diu curaverit,—negligentiæ tamen hujus memoriam 'familiariter' vigere necesse est; et *hæc memoria principium proximum est* vehementer suspicandi, se in res terrenas cum affectu mortaliter culpabili jam ferri. Affectus ille igitur, si reverà existat, proculdubiò illi imputabitur.

Et sanè, testante Suarezio, 'ut quis possit *diu à peccatis mortalibus cavere*, necesse est (moraliter loquendo) ut habeat *firmum propositum* nunquam peccandi mortaliter: nam qui non est hoc generali proposito munitus . . . vix potest *in singulis* prævalere, nedum *contra omnia* . . . constans esse' (De Gratiâ, lib. i. cap. 27, § 21): nec aliquis

est theologus, ut puto, qui aliter sentiat. Quòd si infallibiliter accidet virum hujusmodi in mortale lapsurum,—non durum esse videtur si quis addat, lapsum illum fieri posse, quin de eo explicita præcesserit suspicio.

XIV.

Si materiam hanc plenè et dignè tractarem, duo subjicere oporteret. Primò considerandum esset, *ad quam speciem* pertineant peccata illa, quæ 'ex affectu malo agentis' (ut aiunt theologi) exoriuntur, non verò determinato alicui præcepto opponuntur. Deinde de praxi Confessariorum aliqua dicenda essent; ut ostenderem nihil in illâ mutari debere, si totum hoc verum sit quod affirmo. Et de his rebus quidem disserere, si opus sit, omninò paratus sum; immò demonstrare, praxim communem Confessariorum pro hâc, quam S. Thomæ esse existimo, magìs quàm pro contrariâ parte, reverà stare. Nunc autem brevitati quam maximè potuerim (minùs tamen quàm vellem) consului. Hæc autem indico, ut ejusmodi considerationes memoriam meam non fefellisse ostendam.

Denique, ut res tota ad certa quædam principia revocetur,—quædam prænotabo ab omnibus theologis recepta, quædam subjiciam quæ ad rem nostram propiùs spectent.

1. Viatoris cujusque voluntas, *in quovis momento* dum sui omninò est compos, *vel* ad bonum honestum, *vel* ad bonum delectabile, liberè fertur: sive hoc *explicitè* fiat, sive *virtualiter*. Ità omnes theologi.

2. In illo momento, quatenùs voluntas ad honestum feratur, homo benè agit; immò, si honestum sit supernaturaliter cognitum, meretur de congruo vel de condigno. Ità etiam omnes.

3. In illo momento, quatenùs voluntas ad delectabile feratur, homo peccat. Ità omnes theologi, nisi qui actus aliquos esse indifferentes affirmant. Hi autem ipsi, ut suprà dixi, non nisi minimas et paucissimas exceptiones admittunt.

Juxta quam regulam autem *dimetiemur* actuum illorum, bonorum bonitatem, malorum malitiam, formalem?

4. Quod ad bonos actus spectat, nulla hìc occurrit difficultas, nullum dubium. Bonitas enim actûs ex eo dijudicatur, scilicet quantâ cum *intensione* (minimè verò quanto *conatu*) voluntas jam ad illud honestum, *quá* honestum, feratur. Hoc tamen ità intelligendum est, ut non obliviscamur bona honesta alia aliis digniora esse. Ex duobus actibus, v. g. in quibus voluntas cum pari intensione in bonum honestum feratur, actus ille qui est *amoris Dei super omnia* alium longè præstat. Porrò *meritum* non solùm ex bonitate actûs, sed etiam ex personæ dignitate, pensandum est.

5. Quod verò ad malos actus spectat, si quæstioni huic accuratè respondeamus, res tota erit in aperto. Equidem dubitare non possum, actum illum malum voluntatis, qui in quovis extat momento, eò esse formaliter *pejorem*, quò *pleniùs voluntas à Deo Vero Ultimo Fine et Incommutabili Bono liberè avertatur*. Et minùs etiam dubitare possum, hanc esse expressam S. Thomæ sententiam. Non, inquam, eò actus est pejor, quò distinctiùs mens cogitet de peccato aliquo objectivo, sed quò pleniùs avertatur à Deo; seu (ut rem eandem aliter dicam) quò plura et graviora peccata objectiva, *ex vi illius actûs* quo voluntas ad bonum commutabile liberè feratur, vir *paratus sit* patrare.

Sed quum hìc totus cardo controversiæ vertitur, expediet magìs distinctè rem explicare.

Et primò omnium, nullus actus est mortaliter malus, nisi plenè sit deliberatus. Ut actus autem sit plenè deliberatus, hæc tria convenire necesse est.

1. Ut homo sit omninò sui compos. Actus semi-vigilantis aut semi-ebrii nequeunt esse plenè deliberati; nec quidem hominis, qui ità passione quâdam vehementi concitatur, ut pœnè sit furiosus.

2. Ut plena adfuerit advertentia ad actûs substantiam. Hoc est quod jam dixi, et quod theologorum unanimi

consensu suffulcitur. Si appetitus sensitivus vehementibus iracundiæ v. g. motibus, vel fœdioribus etiam in genere, exagitetur,—si voluntas etiam, pro sympathiâ potentiarum, consenserit,—quin tamen quid agatur intellectus plenè adverterit,—actus ille voluntatis non est plenè deliberatus.

3. Porrò necesse est actum eum humanum, qui in hoc momento procedit, per aliquantulam saltem temporis moram jamjam continuatam esse. Voluntas, quum *primò-primis* concupiscentiæ motibus consentit, non peccat; quum *secundò-primis*, non mortaliter.

De actibus autem plenè deliberatis solùm loquor. Et suppono me comparare velle, quoad gradum utriusque malitiæ formalis, actum eum voluntatis malum plenè deliberatum, quem Caius in *hoc* momento elicit,—cum actu eo voluntatis malo plenè deliberato, quem in *illo* momento elicuit.

1. Pondero, *quantis concupiscentiæ motibus*, in hoc vel in illo momento, Caius consenserit. De duobus enim actibus voluntatis, pariter deordinatis, ille minùs *liber* est, adeòque minùs *malus*, in quo *majoribus* concupiscentiæ stimulis obtemperavit.

2. Deinde pondero, *quanti* Caius *æstimaret* bonum illud commutabile, quod in *illo* momento prosequebatur; quanti verò illud æstimet, quod in *hoc* momento prosequitur. Ex duobus enim actibus, *pariter* deordinatis, et in quibus voluntas *pari* concupiscentiæ consenserit, ille *pejor* est in quo, propter *minorem* delectationem, eadem Dei præcepta vir paratus est violare. Ità ex duobus Christianis, qui timoris *passione* pariter agitati sunt, et qui pari promptitudine *Jovi sacrificaverunt*,—is qui *ex metu mortis* id fecit, graviter quidem peccavit; longè tamen minùs graviter, quàm ille qui solùm *ob hominum contemptum vitandum*.

3. Hæc duo autem si *paria* in utrovis peccato reperiantur, denique pensanda est *deordinatio*, quâ Caii voluntas in *hoc* momento ad bonum commutabile feratur; quâ in

illo momento ferretur. Seu (ut rem eandem aliter dicam) quàm multa et quàm gravia peccata Caius paratus sit patrare, ex vi illius actûs quo *jam* prosequitur bonum commutabile ; quàm multa et quàm gravia peccata paratus *esset* patrare, ex vi illius actûs quo *tunc temporis* bonum commutabile prosecutus est. Cæteris quæ dixi paribus, actus eò pejor est quò magìs deordinatus.

Is igitur (ut toties dixi) mortaliter peccat, qui ad bonum commutabile ità jam fertur, ut ex vi illius voluntatis actûs paratus sit grave Dei præceptum transgredi. Sæpissimè autem evenit, quòd qui peccatum patrat materialiter mortale, minimè tamen id patraret si ad peccati gravitatem plenè adverteret; quippe qui, in eo instanti, non cum gravi illâ deordinatione ad creaturas convertatur. Hic proculdubiò *mortaliter non peccat*. Et hinc, ut existimo, ortus est ille loquendi modus, qui plenam malitiæ considerationem ad mortale peccatum requirit.

Si hæc autem concedantur principia, omnia quæ in hâc epistolâ dixi statim consequentur; difficultates illæ, quas in principio exposui, commodè enodabuntur ; quin et gravissimæ illæ *de ignorantiâ* quæstiones, in hâc nostrâ patriâ tam necessariæ, faciles satìs evadent. Hanc quidem totam de *ignorantiâ* materiam quomodò quis tractare etiam *aggrediatur*, quin omnem eam de advertentiâ ad mortale requisitâ doctrinam prorsùs abjecerit, equidem intelligere non possum.

Porrò hæc principia in ipsis S. Thomæ verbis manifestè contineri, et rationi ipsi omninò esse consentanea, pro certo habeo. Earum quæ ex illis profluunt conclusionum, aliæ aliis certiores mihi videntur. Quæ quidem de *Thesi illâ priore* dixi, tam omninò certa esse puto, ut contrarium sit apertè falsum. Cætera autem, theologorum dictis ità conformia existimo, ut saltem sine ullâ temeritatis suspicione affirmari possint ; et ità necessariò à principiis illis fluere, ut hâc etiam ex causâ aliqua eis debeatur auctoritas. Denique, difficultates illæ quas exposui, et illæ etiam quæ ad ignorantiam spectant, *aliquo modo* proculdubiò solvi

possunt: quomodò autem, si ab his quæ dixi prorsùs dissentias?

Non desunt tamen viri graves, ex iis quibus hæc vulgatus sum, qui omni probabilitate ea destitui existiment. Hanc ob causam tibi, vir amice, hæc scribo, qui in ipsâ theologiæ veluti arce, in Urbe Almâ, feliciter versaris. Hæc quæso ad theologos illos præclaros refer, quorum laus est in omnibus Ecclesiis; ut quid de placitis meis sentiant, benignè pronuntient. Si hæc minùs placeant, tum verò ab iis enixè, quæso, postula, ut quo tandem modo his difficultatibus occurrendum sit, mihi narrent; ut quæ principia, tum ad peccati formalis gravitatem pensandam, tum ad veram de hæresi et ignorantiâ sententiam propugnandam, sumenda esse judicent, me edocere non dedignentur.

Si hæc enim theologis non placeant, ea protinùs rejiciam et reprobabo. Longè equidem libentiùs vitam amitterem, quàm ab illis, non modò quæ doceat Sancta Mater Ecclesia, sed etiam quæ credi suadeat, vel minimâ in parte discederem. Veram autem Ecclesiæ vocem, in rebus non adhuc dijudicatis, quo tandem modo tam certò dignoscere poterimus, quàm si doctores illos adeamus, qui sub Petri Cathedræ tutelâ, quasi sub umbrâ quâdam, sedentes, ab ipso perenni veritatis fonte sanos theologiæ haustus bibere videantur?

Tibi devinctissimus

GUILLELMUS GEORGIUS WARD.

Dabam Londini,
In Festo S. Petri Cathedræ Romanæ,
MDCCCLIV.

LONDINI:
EXCUDEBANT ROBSON, LEVEY, ET FRANKLYN,
Great New Street prope Fetter Lane.

.14
19
22729
D. WM. GEORGE
IOR
Obdu ra torum Peccatis
E Mortalibus

E ED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

22729